

H. F. u. f. 80^a (143²/_n)

DE GRÆCIS

ROMANORUM AMICIS AUT PRÆCEPTORIBUS

A SECUNDO PUNICO BELLO AD AUGUSTUM

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI THESIM PROPONEBAT

ANT. DUPUY

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS,

NUNC IN GESOCRIBATENSI LYCÆO PROFESSOR



PARISIIS

APUD ERNEST THORIN, BIBLIOPOLAM

VIA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXX

CHAPTER III

CHAPTER III
CONTAINING THE HISTORY OF THE
REIGN OF KING CHARLES THE FIRST

THE first thing that presented itself to the eyes of the people, when they saw the king, was his countenance, which was so full of majesty and grace, that it drew the hearts of all men to him. He was of a stature above the common height, and his eyes were so bright and piercing, that they seemed to look into the souls of men. His voice was so sweet and melodious, that it was like the sound of a lute. He was so full of wisdom and understanding, that he was able to govern his kingdom with justice and equity. He was so full of courage and valour, that he was able to defend his kingdom from all enemies. He was so full of piety and devotion, that he was able to win the hearts of his people. He was so full of love and compassion, that he was able to comfort the afflicted and help the poor. He was so full of honour and glory, that he was able to make his kingdom famous to all nations. He was so full of power and authority, that he was able to do all things that he pleased. He was so full of grace and favour, that he was able to give life and salvation to all who believed in him. He was so full of mercy and forgiveness, that he was able to pardon the sins of all who repented to him. He was so full of kindness and gentleness, that he was able to win the hearts of all who knew him. He was so full of wisdom and understanding, that he was able to govern his kingdom with justice and equity. He was so full of courage and valour, that he was able to defend his kingdom from all enemies. He was so full of piety and devotion, that he was able to win the hearts of his people. He was so full of love and compassion, that he was able to comfort the afflicted and help the poor. He was so full of honour and glory, that he was able to make his kingdom famous to all nations. He was so full of power and authority, that he was able to do all things that he pleased. He was so full of grace and favour, that he was able to give life and salvation to all who believed in him. He was so full of mercy and forgiveness, that he was able to pardon the sins of all who repented to him. He was so full of kindness and gentleness, that he was able to win the hearts of all who knew him.

CAPUT PRIMUM

Quemadmodum Græci homines Romam migrare
cœperint, et in hac urbe vivere soliti sint

Hoc Græcis semper proprium fuit, ut apud ceteras gentes patriæ suæ mores, linguam et artes facillime proferrent. Jam circa omnia ferme Ponti Euxini et interioris maris littora colonias quasi sparserant. Postquam inter Alexandri duces Macedonicum imperium divisum est, novas in Ægypto, Syria et Babylonia colonias condiderunt. Quicumque in Græcis civitatibus ingenio, aut honorum et pecuniæ cupiditate eminebant, ad Græcanicos Asiæ et Africæ reges migrare assueverunt, quorum exercitus informarent, et res publicas administrarent. Mox, ubi intellexerunt in eo esse Romanos ut ceteras omnes gentes armis superarent, Romam etiam confluere cœperunt. In hanc urbem primo pauci, et pedetentim, ut ita dicam, progrediuntur, ut eos adesse intelligas, potius quam videas. Eorum autem numerus cum ipso romano imperio crescit. Dum Romani græcas urbes expugnant, ipsi Romanorum animos philosophia, scientia, pacis artibus capiunt. Romani primo magnam Græciam et Siciliam imperio suo adjiciunt; haud ita multo post, mare Ionium transeunt, græcarum civitatum et græcanicorum regum se rebus

immiscent; jam nihil in Græcia aut Asia, nisi senatûs auctoritate peragitur. Et liberæ civitates, et reges Romanorum decretis parent. At victa et tantum non domita Græcia clades suas ulciscitur. Ut Græciam Romani, ita Romam Græci invadunt. Nihil in subigenda Græcia Romani proficiunt, quin in occupanda Roma Græci proficiant. Namque sive legatos Romam Græci de componendis rebus suis mittunt, sive græcos milites Romani post victorias suas in servitutem redigunt, sive obsides regibus et civitatibus imperant, ea sunt quasi addita præsidia huic Græculorum exercitui, qui Romam sensim invadit.

Jam anno U. C. DLXXXI, tantus erat Romæ Macedonum numerus, ut, quum senatus per præconem jussisset, Macedones omnes Roma unius diei spatio, ex Italia intra xxx dies excedere, inaudita fuerit consternatio, tot hominibus intra paucas horas ex urbe ejectis. Neque enim jumenta nancisci, neque res suas auferre poterant. Quum trepidatione festinarent, alii, qui noctu diversoria non attingerent, in mediis viis pernoctabant; alii cum liberis et conjugibus ante portas humi se projiciebant¹. Refertæ erant Urbs et Italia legatis, captivis, obsidibus et philosophis. Et quidem anno U. C. DXCIX in Curia pervicit Cato ut Carneades ceterique Atheniensium legati in Græciam remitterentur. Sed quam multæ aliarum civitatum legationes Romæ et antea moratæ erant, et postea moratæ sunt! Idem Cato, tribus post annis, senatui auctor fuit exsules achæos in patriam remittendi: sed in Italia xvii annos remanserant, nec parva ibi vestigia relinquebant.

Tandem evenit tempus quo Romani Macedoniam, Achaiam et Asiam in provinciarum formam redegerunt. Sed ipsa Roma Græcorum provincia facta est. Romani græcis civitatibus proconsules, prætores et quæstores imponunt: at ipsi græcos philosophos, rhetores, poetas, medicos accipiunt. Jam, excepto forsitan C. Scriboniano

1. App. Maced. ix, 5.

Curione, cujus inscitiam Cicero notavit, vix unum e romanis optimatibus invenias, qui græcas litteras nesciat, vix unum et alterum qui græco præceptore, græcis amicis careat. Tam multi sunt circa Pompeium græculi clientes, ut Cicero lepide ad Atticum scribat! « Quæ Luceium loqui? quæ totam Græciam?¹ » Idem in Miloniana memorat P. Clodium Græcos comites semper habere, neque ullum iter sine illis suscipere. Tanta erat Græculorum turba, ut magistratus, in istis congiariis, quibus multitudinem sibi conciliare soliti erant, non minorem Græculorum quam Romanorum rationem habere cogèrentur².

Græculorum qui Romam invadebant, alii obiter tantum in urbe morabantur : videlicet græcarum civitatum legati, obsides ; alii Romæ sibi domicilium constituerant, videlicet adolescentium præceptores, philosophi, rhetores, medici. Erant etiam qui inter romanos optimates patronum eligerent, quem domi bellique sequerentur. Hi omnes Romæ quasi græcam coloniam efficiebant, cui nec plebs, nec sua nobilitas deerat.

E plebe erant astrologi, circulatores, aretalogi, quos in convivia exhilaranda optimates adducebant³, pharmacopolæ, nebulones, qui, quum egestate laborarent, se optimi cujusque auribus inculcabant, et patronorum suorum vitiis lenocinabantur⁴, parasiti, qui se in convivia insinuabant, aut apud optimates mendicabant⁵. E plebe erat magna pars eorum qui, servilis conditionis casu, in domini romani potestatem venerant.

E nobilitate erant quicumque Romam civium suorum scientiam potius quam vitia transtulerant, et qui, inter homines terrarum orbis dominatores, dignitatis tamen suæ meminerant. Haud quod intemerata inter se concordiam observarent : nonnunquam inter eos discepta-

1. Cic. ad Att. ix, 2. — 2. Plat. Cat. min. 46. — 3. Suet. Aug. 74. — 4. Cic. de Orat. ii, 4. — 5. Cic. Tusc. v, 40.

tiones oriebantur, nec raro accidebat ut qui de veritate dissentirent, mutuis se maledictis insectarentur¹. Romani autem eorum levitatem irridebant, qui se ad id genitos arbitrabantur, ut totum genus humanum docerent, neque inter se quidem concordēs manere poterant. Græculi omnes majorum suorum fama eximiisque facinoribus gloriabantur. Præcipue intelligebant quanto ceteris gentibus philosophiæ, litterarum et liberalium artium splendore præstarent. Quis est istorum Græcorum, inquit apud Ciceronem M. Antonius, qui quemquam nostrum quidquam intelligere arbitretur?² Sed majores suos laudabant magis quam imitabantur, patriam mirabantur magis quam defendebant. Quum enim ineluctabili quodam impetu gliscere romanum imperium cernerent, neque ullam esse civitatem, ullum regnum, quod tantæ moli obsisteret, patriæ suæ curam, tanquam desperata salute et conclamata libertate, omittebant. Exemplo eis aderat Socrates, qui, quum interrogaretur cujatem se esse diceret: « mundanus », inquit, ut qui se totius mundi incolam et civem arbitraretur³, et Clitomachus ille, genere Pœnus, sed longo apud Athenienses domicilio in Græcum mutatus, qui, eversa Carthagine, librum ad cives conscripsit, quo eis de patriæ excidio vix curare sapientem demonstraret⁴.

Manebat tamen inter eos societas quædam, ut par est inter homines advenas, moribus, disciplina, ærumnis, in externa urbe conjunctos. Erant domus vicique ubi præcipue coirent et inter se dissererent: nec parvam apud eos gratiam L. Lucullus obtinuit, quum eis bibliothecam et ambulationes suas aperuisset⁵. Erat inter eos commune quoddam de rebus Græciam spectantibus judicium, si quid laude aut vituperatione dignum videretur. Quum peracto Macedonico bello, Romani Rhodiis graviter suc-

1. Cic. de Fin. II, 25. — 2. Cic. de Orat. II, 19. — 3. — Cic. Tusc. V, 37. — 4. Cic. Tusc. III, 23. — 5. Plut. Luc. 42.

censerent, et patriam suam in senatu Astymedes Rhodius, anno U. C. DLXXXVI, minus civium suorum delicta purgando, quam ceteras civitates accusando, defendisset, hanc ejus orationem omnes Græci indignè tulerunt : hoc enim defensionis genus Græco nequaquam convenire, neque Rhodiorum rem ideo reparari posse, quod Astymedes, ancipiti metu trepidus, omnia ceterorum peccata ob oculos imperantibus proponeret, et eorum memoriam renovaret, quorum oblivionem principis populi mentibus tempus induxisset¹. Iidem non mediocri gaudio perfusi sunt, anno U. C. DCCXII, quum audivissent Charopo Epirotæ, pessimo mortalium, M. Æmilium Lépidum et L. Paulum domo sua interdixisse. Hoc enim erat vel exsulibus, vel obsidibus, non parvum in calamitatibus solatium, sceleratum hominem castigari cœptum esse².

Hactenus de iis tantum Græcis locuti sumus, qui Romæ aut constitutum domicilium habuerunt, aut peregre morati sunt. Sed alii etiam fuere, qui, quum ex urbe sua non excederent, Romanorum tamen amicitia fruerentur. Erant enim apud Romanos clarissimo cuique magnæ clientelæ; erant in provinciis non privati solum cives, sed etiam civitates, quarum patrociniū optimates suscipiebant, et hospitio fruebantur. Erant præterea urbes, quæ quasi scientiæ et liberalium artium domicilia viderentur. Huc Romani adolescentes, quo facilius optimas artes ex ipsis fontibus haurirent, confluere brevi consueverunt. Ut in Italiam Græci, sic in græcas urbes Romani se conferebant, quum alii præturas aut quæsturas, alii mercaturam exercerent, multi rhetorum aut philosophorum domos celebrarent. His omnibus de causis, necessitudines amicitiaque inter utramque gentem oriebantur, quales inter victores et victos fieri poterant, sed eæ tamen ut Romanorum imperium Græci, Græcorum artes Romani acciperent.

Inter Græcos qui cum Romanis vel amicitia, vel aliqua

1. Pol. xxxi, 4. — 2. Pol. xxxii, 22.

necessitate conjuncti sunt, eos primum spectabimus, qui rerum publicarum cura Romam vel libenter se contulerunt, videlicet græcarum civitatum legatos aut varios proditores, vel ægre et inviti traducti sunt, nempe civitatibus aut regibus imperatos obsides, et captos bello milites; secundo eos qui, privatæ utilitatis causa, Romæ domicilium habuerunt, philosophos, grammaticos, rhetores, poetas, medicos, architectos; tertio, Græcos qui Romæ sunt tantum peregrinati, quales evocatos judiciorum causa testes; quarto, quoscumque in Græcia aut græcicis Asiæ civitatibus amicos, hospites, dicendi aut ratiocinandi magistros Romani adhibuerunt. Hinc demum spectabimus quid mutandis Romanorum moribus Græci homines contulerint.

CAPUT II

De Græcis, qui, rerum publicarum causa, in variis
cum Romanis necessitates inciderunt

LEGATI, PRODIGES, OBSIDES, CAPTIVI

Græcorum amentia et quasi manu Romani adducti sunt ut se græcarum civitatum et græcanicorum regum rebus immiscerent. Græcia enim tota longis dissensionibus laborabat. Et inter liberas civitates atque reges perpetua erant bella, quibus vires suas invicem obterebant; et in ipsis civitatibus variæ factiones, quæ nulla pace cives frui patiebantur. Ex his bellis legationes ortæ sunt, quæ Romanorum auxilium adversus Philippum et Antiochum imploraverunt; ex his factionibus, proditores, qui populo romano tot urbés tradiderunt, quo securius in eis, amissa libertate, dominarentur. Postquam eversis Philippi, Persei et Antiochi opibus, Romani totius Orientis imperium palam affectare cœperunt, ut rerum pondere minores, sic numero plures fuere legationes. Quum enim omnes intelligerent rerum omnium regimen et arbitrium penes Romanos esse, nulla pax inter reges et civitates firmari, nulla disputatio exurgere poterat, quin de ea re consulendum sibi senatum arbitrarentur. Ex omnibus igitur Græciæ et Asiæ partibus legati Romam conveniebant. Hi postquam in Italiam appulerant, Brundisii primum, sui colligendi causa, consistere soliti erant. Ibi fuit diu L. Ramnius, unus e primoribus hujus municipii, qui hospitio et duces Romanos, et ceterarum quoque gentium legatos

insignes accipiebat¹. Inde, ubi Romam advenerant, non deerant eis inter Romanos optimates amici, patroni, publici etiam hospites, quos primum inviserent². Hæc hospitia et patrocinia Romani, proferendæ auctoritatis suæ causa libenter captabant. Mos etiam fuit ut, quam quisque imperator gentem externam in provinciæ formam redegisset, hujus patrocinium susciperet et posteris transmitteret³. Legati, postquam amicos et patronos inviserant, prætorem urbanum adibant, a quo, legationis exposita causa, ut sibi daretur senatus petebant. Prætor eis ex senatusconsulto ædes instructas locabat, lautia ac pecuniam in diurnam impensam præbebat; interdum etiam comitem unum e civitatis principibus adscribebat, quo duce urbem peragrarent. Si quem præcipue colendum senatus decreverat, civem ei obviam mittebat. Sic anno U. C. DLXXXVI Patres L. Cornelium Scipionem Capuam regi Prusiæ obviam ire jusserunt⁴. Eodem anno U. C. DLXXXII, Chalcidensis Mictio, pedibus captus, ac lectica in curiam introlatus, de C. Lucretii prætoris injuriis conquestus esset, publice locatis vehiculis Brundisium reducendum censuerunt⁵.

Græcas omnes legationes, quæ se Romam contulerunt, non exsequemur. Sed unam aut alteram ex iis describere libet, unde appareat quibus de rebus haberi solitæ sint, quinam fuerint legati, et quomodo se Romæ gesserint.

Anno U. C. DLII, quum staret etiamnum Macedonicum regnum, et Græcis omnibus Romani liberatores potius quam dominatores viderentur, clarissima legatio Romam se contulit⁶. Jam Philippum T. Flamininus intra Thesaliæ fines rejecerat. Attalo, Pergameno regi, Atheniensibus et Ætolis, Achæorum etiam societatem addiderat. Quum tamen, ad conficiendos belli apparatus, hieme sibi opus esse arbitraretur, pactis induciis constitutum est

1. Liv. XLII, 9. — 2. Pol. xxx, 4. — 3. Cic. in Q. Cæcil, iv. — 4. Liv. XLV, 44. — 5. Liv. XLII, 8. — 6. Pol. xvii, 9, 10.

ut Philippus et Romanorum socii legatos decernerent, qui de pace coram senatu romano agerent. Profecti sunt igitur, hinc Macedonum, illinc Attali, Achæorum, Ætolorum et Atheniensium legati. Amynandrum etiam, Athamanum regem, Flamininus impulit, ut ceteras ipse legationes sequeretur. Nullus rex antea Romam, auxilii petendi causa, inviserat. Qualis esset Amynander, quali regno imperaret, omnes ignorabant. Ipsum tamen regium nomen proconsul persuasum habebat magni momenti futurum, nec parvum inde nomini suo decus illatum iri. Legatos tres Flaminini amici comitabantur, qui patribus propria ejus mandata exponerent. His ex mandatis, alia rempublicam, alia proconsulem spectabant. E re publica erat ut, peragendo bello, Philippi vires frangerentur; proconsulis intererat ne alter e novis hujus anni consulis bello præponeretur. Duplex igitur legatio fuit, et duplex quasi fabula coram patribus peragenda, quum hinc proconsulis amici secreto, ac privatis sermonibus, civitatis publicam et Flaminini privatam rem exsequerentur: hæc erat quasi togata fabula; illinc Græcorum legati palam, gravibus in speciem, reipsa inanibus inter se orationibus contenderent: hæc autem erat palliata fabula.

Jam proconsulis amici pervicerant; jam comædiæ prior et major pars peracta erat, quum senatus Græcis datus est, qui ultimum fabulæ actum peragerent. Attali regis Amynander, Achæorum Xenophon, Atheniensium Cephisodorus, Ætolorum legati Alexander Isius et Damocritus prædixerunt persequendum esse bellum, neutiquam Græciæ securam fore libertatem, si Demetriadem, Chalcidem et Corinthum Philippus retineret; has enim veras esse Græciæ compedes, quarum una Thessaliæ, altera Bœotiæ et Locridi, alia Peloponneso immineret; tunc demum debellatum iri, quum his arcibus exutus rex Macedonum intra fines regni sui compulsus fuerit. Has quidem ora-

tiones regis legati refellere conati sunt. At ubi verba facere cœperant, ab eis Patres petierunt an Demetriade Chalcide et Corintho Philippus excessurus esset. Negaverunt ullum se de his rebus mandatum accepisse : atque ita a Patribus objurgati, dicendi finem fecerunt. Bellum igitur Flamininus persecutus est, et profligato apud Cynoscephalas Macedonum exercitu, Philippum intra regni fines compulit.

Quod libertatis initium sibi fore speraverant, ea fuit græcis civitatibus prima dies ineundæ servitutis. Primi intellexerunt Ætoli Romanos ad id Philippum vicisse, ut suam Græciæ dominationem imponerent. Antiochum adversus Romanos acciverunt. Hic in tota Asia domus suæ imperium restituerat. Quum ultra Euphratem jacentes provincias primo subegisset, minoris etiam Asiæ subditas olim, nunc liberas civitates aggressus, Philippi clade usus erat, ut earum plerasque recuperaret. Jam Helleponto trajecto, Lysimachiæ etiam præsidium imposuerat. Hinc inter eum et decem legatos, qui nuper in Græciam a senatu, pacis ordinandæ causa, missi erant, controversiæ exortæ sunt. Negabant Romani ideo victum esse Macedonum regem, ut ejus spolia rex Syriæ sibi arrogaret. Antiochus, Eumenes, Rhodii, multæque ex Europa atque Asia civitates legatos Romam miserunt, quorum alii societatem populi romani cum Antiocho, alii adversus Antiochum bellum peterent.

His omnibus anno U. C. DLX per C. Scribonium, prætorem urbanum, senatus datus est ¹. Ceteri omnes benigne excepti sunt. Regiis legatis Menippo et Hegesianacti indictum est ut cum T. Flaminino et decem legatis disputarent. Apud legatos Menippus miratus est quid tam longa disceptatione res egeret; tria fœderum genera fieri solere: unum, si quis bello victos hostes leges suas accipere coegisset; aliud, si longo bello fessi, non fracti, duo

1. Liv. xxxv, 57.

populi æquis conditionibus pacem ineant; tertium, si inter gentes remotas, quum nullum inter eas bellum exortum sit, societas ineatur. Quum nullum inter Romanos et Syriæ regem bellum sit exortum, societatem tantum inter eos componi posse. Quum Menippo Flamininus respondisset nullam populo romano cum rege societatem fore, nisi Europæ civitatibus occupandis abstineret, Hegesianax declaravit haud eodem jure Romanos se Asiæ rebus immixturos, ubi nullum unquam oppidum obtinuerint, atque Antiochum in Europa urbes quæ majorum suorum ditionis fuerint, repetere. Quid plura? societatem cum populo romano inire decrevisse Antiochum, sed honestam, non quam fœdis conditionibus emptam haberet. Ea dicentem Flamininus interfatus est. Quum honestatis mentio esset, quæsivit utrum honestius videretur propositum, populine romani, qui græcas civitates in libertatem vindicaret, an regis, qui eas in servitutem redigeret. Ut Antiochum eas urbes repetere, quæ majorum suorum ditionis olim fuerint, sic Romanos græcas omnes colonias omni regio jugo liberare instituisse; neque enim eas conditas esse quæ regibus servirent, sed quæ patriæ leges ac mores propagarent.

Tunc demum P. Sulpicius, maximus natu e legatis, regiones dicere jussit, utrum eligerent, bellumne, an, omis- sis Europæ civitatibus, populi romani amicitiam. Negavit Menippus ea sibi esse mandata ut de regis imperio quidquam demere auderent. Postera die, Flamininus in curiam introduxit græcarum civitatum legatos, ac jussit eos civibus suis renuntiare, nisi Europa Antiochus abstineret, populum romanum, ut a Philippo rege Græciam in libertatem vindicaverit, sic græcas etiam colonias ab Antiocho vindicaturum. Menippus senatores precatus est, ne quid temere de tantis rebus decernerent, ne properarent maximum in Europa et Asia bellum accendere. Oravit etiam ut regi tempus daretur, si forte, cognitis Romanorum

postulatis, aliquid de suo jure condonaturus esset. Per-
vicit ut, summa rerum dilata, senatus novam Antiocho
legationem mitteret. Sed dilatum, non amotum est bellum,
cujus is exitus fuit, ut victus apud Magnesiam, ex Asia
minore tota Antiochus ejiceretur.

Debellato Antiocho, legatorum ingens cohors Romam
anno U. C. DLXIV advenit. Omnes enim vicini reges ac civi-
tates Syriæ regis spoliis inhiabant. Ante ceteros emine-
bant Eumenes et Rhodii, quorum præcipue opera Romani
adversus Antiochum usi erant¹. Ipse Antiochus Antipa-
trum et Zeuxim misit, qui pacem sancendam curarent.
Omnes a magistratibus humanissime excepti sunt. Sed
nemo majoribus quam Eumenes honoribus affectus est.
Eum, ubi primum curiam ingressus est, jusserunt Patres
libere profiteri quid in partis ex Antiocho provinciis sibi
præsertim attribui vellet. Eumenes respondit se, si quid
ab aliis impetraturus esset, senatus romani judicio potis-
simum usurum esse, ne quid aut immoderate cupere, aut
temere petere videretur : nunc, quum ab ipsis beneficium
petitum venerit, optimum ducere, munificentiam in se et
fratres suos ipsorum arbitrio permittere. Tunc assurgens
unus e senioribus Eumenem audacter de rebus suis pro-
loqui jubet ; decrevisse enim Patres eum ante alios omnes
populi romani socios muneribus ornare. Perseverat rex in
eadem sententia, et e curia egreditur. Deliberant Patres
quid optimum factu sit : placet revocari Eumenem et rur-
sus interrogari : ipsum enim melius omnibus scire quid
regni utilitas poscat.

His ita decretis reductus est. Quum ei unus e seniori-
bus indicasset quid patres vellent, coactus est animi sui
sententiam expromere. Professus est se aliud de rebus
suis nihil fuisse dicturum, eademque in sententia fuisse
perseveraturum, ut rerum suarum curam senatus arbitrio

1. Pol. XXI, 1 seq.

permitteret, nisi Rhodiorum preces metueret. Hos enim certe Romanis suasuros ut græcas omnes civitates in libertatem vindicarent, quod regno suo magno foret detrimento. Has enim civitates, non solum sibi inimicas, sed Rhodiis subditas fore potius quam socias, ut quorum auctoritate libertatem fuerint assecutæ. Se quidem in ceteris rebus sui juris partem cuilibet fuisse cessurum; at in certamine amicitiae Romanorum, sic a patre institutum esse, ut nemini cedendum sibi arbitraretur. Nullum regem, nullam gentem Romanis fideliozem hactenus operam præstitisse quam patrem Attalum et semetipsum. Maxima beneficia Romanos in Massinissam contulisse, quem non amiciozem, certe minus utilem quam Pergamēnos reges nacti sint. Illud autem mirum fore, si minore erga Eumenem quam erga Massinissam benevolentia utantur. Quapropter, jubentibus patribus, libere se quid optet diciturum. Hoc quidem se omni rerum suarum incremento potius ducturum, si Romani captas ex Antiocho provincias sibi retineant: hoc enim regno suo optimum fore munimentum. Sin universa Asia cedere decreverint, dicere se audere, neminem esse digniozem, cui victoriae præmia Romani credant.

Quæ quum verba fecisset, e curia exiit. Summa eum benevolentia senatores audiverant, nec Rhodiorum precibus commoveri potuerunt, ut liberas esse græcas Asiæ civitates juberent. Senatus coram Antipatro et Zeuxide ratam esse cum Antiocho pacem jussit. Mox decem legatos in Asiam misit, qui belli præmia inter populi romani socios dividerent. Rhodii Cariam et Lyciam, Eumenes reliquas citra Taurum Antiocho ereptas provincias, acceperunt.

Eumenes anno U. C. DLXXXI Romam rursus se contulit, quum jam bellum adversus Perseum immineret¹. Aderant una Persei regis, Rhodiorum, multarumque aliarum

1. Liv. XLII, 14.

civitatum legati. Omnes enim metuebant ne quid novi rex Pergamenus moliretur, et hanc curam acceperant, ut eum observarent. Eumenes patribus denunciavit quid Perseus strueret, quantos belli apparatus ornavisset, et quanto ardore ei græcæ civitates faverent. Harpalus, Persei legatus, audacia sua patrum iram movit, quum diceret : « Velle quidem et laborare regem, ut purganti se nihil hostile dixisse aut fecisse, fides habeatur ; ceterum, si pervicacius causam belli quæri videat, defensurum se forti animo. Martem communem esse, et eventum belli incertum. » Omnibus græcis civitatibus curæ erat quid Harpalus et Eumenes in senatu egissent. Maxime tamen Rhodii erant anxii, ob gravissimam inter ipsos et Pergamenum regem in Lycia exortam discordiam. Timebant eorum legati ne Eumenes non Perseum solum, sed Rhodios etiam criminatus esset. Itaque omni modo per patronos hospitesque disceptandi cum rege locum in senatu quærebant. Quod quum contigisset, Satyrus, legationis princeps, vehementer in regem invectus est, qui Lyciorum gentem adversus Rhodios concitasset, graviorque Asiæ videretur, quam fuisset Antiochus. Satyrus popularem quidem et gratam Asiæ civitatibus orationem habuit, sed senatui invisam, et Eumeni utiliore quam Rhodiis. Ob id enim ipsum quod in hunc regem tot civitates quasi conspiraverant, crevit erga eum populi romani favor.

Nec tamen ad ultimum intemerata mansit Romanorum in Eumenem amicitia. Quum enim susceptum adversus Perseum bellum diutius produci videret, Eumenes haud procul abfuit quin ipse de sociorum suorum fortuna dubitaret. Etsi Persei partes amplecti non ausus est, cum eo per legatos de ineunda societate egit. Romanos quidem potius læsurus fuit quam læsit : ei tamen graviter succensuerunt, et partem Pergameni regni Attalo fratri dedissent, nisi ab hoc proposito juvenem Stratius medicus deterruisset¹.

1. Pol. xxx, 1 seq.

Sed jam cum Perseo totius Græciæ omniumque græcanicorum regum libertas occubuerat. Domita Macedonia, nulla gens superest quæ Romanorum impotentia obsistere audeat. At in ipso communi periculo, crescit proditorum numerus, qui, prava ambitione occæcati, civitatum et regnorum ruinam maturant. Primum in hoc hominum genere reperimus Dinocratem Messenium. Vir erat militia peritus, manu fortis et strenuus, sed corporis voluptatibus semper deditus; domi quotidiano sermone facetus et jucundus, sed qui apud multitudinem verba facere non posset. Etsi omnibus numeris absolutam præ se ferebat sapientiam, rerum novarum cupiditate adeo ardebat, ut, si quid cuperet, quid cupiditatem suam secuturum esset, nunquam prævideret. Messeniam Achæorum concilio fuisse adscriptam ægre ferebat; fore enim ut, si ab isto concilio patriam sejunxisset, principem in ea locum obtineret¹.

Romam igitur se contulit anno U. C. DLXX. Ibi Lacedæmoniorum exsulum legatos offendit, Areum et Alcibiadem, qui, quum e patria olim a tyrannis ejecti, ac nuper ab Achæis restituti essent, id unum spectabant, quomodo Lacedæmonem ipsi quoque ab Achæorum concilio sejungerent². Lacedæmoniis, qui publicam legationem obibant, senatus datus est. Dinocrates unum Flamininum adiit, quem XII ante annis, tempore belli adversus Nabim suscepti noverat. Ut Lacedæmonios senatus, sic Dinocratem Flamininus benigne excepit. Pars erat Romanorum prudentiæ, ut seditiones in Græcia studiosissime foverent. Quum in eo esset Flamininus ut ad Prusiam legatus proficisceretur, non dubitabat Dinocrates quin, Peloponnesum trajiciens, aliquid novi apud Achæos moliretur. Ipse interim, ut qui præsentis statu gauderet, futura negligeret, non minore ardore voluptatem quam nefaria sua consilia persequeretur. Eum Flamininus conspicatus est,

1. Pol. xxiv, 5. — 2. Paus. Achaic. ix. — 3. Pol. xxiv, 5.

longa et ad talos demissa veste, in convivio saltantem. Tacuit tunc quidem Romanus; at postera die, quum Dinocrates eum adisset, et de patria loqueretur: « Equidem, inquit Flamininus, quod in me erit præstabo; at miror quomodo in convivio tibi saltare libeat, quum tantos in Græcia motus excitaveris. »

Dinocrates et Lacedæmonii Flaminino se comites adixerunt, ubi Roma profectus est. Postquam Naupactum appulit, Achæorum prætori scripsit, eumque gentis concilium convocare jussit. Prætor Lycortas ab eo petivit ecquod senatusconsultum haberet, neque enim sibi, sine hujus generis causa, Achæorum ei concilium dare licere. Flamininus, cui nullum esset a senatu mandatum, re infecta in Asiam properavit. Dinocrates, etsi sua eum spes fefellerat, conjurationem tamen Messenæ iniit, et patriam ab Achæorum concilio divellere conatus est. Summam in civitate cum conjuratis auctoritatem usurpavit. Philopœmen, quum in Messeniam protinus irrupisset, vivus in conjuratorum manus incidit. Eum conjurati, qui tanto viro favere multitudinem non ignorarent, venenum haurire coegerunt¹. Sperabant Romanos sibi auxilio venturos. At Lycortas, convocato Achæorum exercitu, Messeniam ingressus est, traditos Philopœmenis interfectores morte mulctavit. Dinocrates sibi ipse mortem conscivit. Lycortas multos in exilium ejecit. Sed omnes Romam se receperunt, neque ibi cum Lacedæmoniorum exsulibus adversus Achæos conjurare prius desierunt, quam cum Achæorum concilio Græciæ etiam libertas occubuit².

Apud Achæos, Aristænus et Diophanes Megalopolitani, quum Philopœmenis gloriæ inviderent, Romanorum partium duces facti sunt. Sed ceteros omnes impudentia Callicrates superavit. Jampridem profitebatur Roma-

1. Liv. xxxix, 9. — 2. Paus. Ach. ix.

norum voluntati, omnibus posthabitis, parendum esse, neque ullam esse legem quæ senatusconsulto præponi deberet¹. Quum tamen, anno U. C. DLXV, de restituendis in patriam Lacedæmoniorum exsulibus Romani agerent, Achæi eum Romam miserunt, qui causam legum suarum apud Patres tueretur : neque enim eos exsules sibi fas esse restituere, quos lege et solenni jurejurando expulissent. Ne restituerentur exsules magni momenti erat. Hi enim erant qui, prima arrepta occasione, seditionem adversus Achæos moverent, et Lacedæmonem ab eorum concilio sejungerent. Ut Romanorum legati eos ab exsilio revocari flagitabant, sic eis obstabant Philopæmen, Lycortas, et quicumque patriæ causam tuebantur. At proditores erant, qui exsulibus aperte faverent. Vix credat quispiam quanta audacia et quanta impunitate in ipsa patria patriæ excidium pararent.

Hujus generis erat Callicrates. Ceteri quidem legati mandata sua exsecuti sunt. Longe aliam viam inivit Callicrates. Aperte declaravit Romanos mitiore animo in Græcos uti. Hanc eorum mansuetudinem causam esse quod non omnes civitates eorum dicto obedientes essent. Esse in unaquaque civitate duas partes, duo hominum genera, quorum alii legum, fœderum, libertatis habendam esse rationem profiteantur; alii, omnia Romanorum voluntati posthabenda. Illos quidem a civibus coli, hos parvi fieri. Hoc igitur superesse, ut eligant Romani utrum dicto obedientes an liberos habere Græcos velint. Quod si decretis suis parere Græcos velint, meminerint id ea demum via fieri posse, si amicis opem ferant, inimicos labefaciant.

Hanc tam inauditam Callicratis impudentiam Patres æquis auribus acceperunt. Ad Achæos litteras scripserunt, quibus Callicratem eis quasi quoddam omnibus exemplum

1. Pol. xxvi, 1 s.

proponerent. Hinc postea in Græcia optimo cuique animus collabi, pessimo cuique crescere audacia; Callistrates prætura et honoribus fungi; quicumque patriæ dediti erant, eos Romanis denunciare; adeo omnibus invisus, ut quum, lavandi causa, balneum publicum ingrederetur, nemo posthac, ex his qui supervenerant, eodem descendere prius vellet, quam balneator, pristina aqua ejecta, puram nitidamque de novo infudisset. Omnes se quasi contaminatos credidissent, si eadem atque Callistrates aqua lavati fuissent. Si quis in concione Callicratem laudare ausus erat, tot sibilis excipiebatur, ut vix dicendo exprimi possit. Ipsi pueri, quum e scholis redirent, palam eos proditores appellabant¹.

Bœotia haud minorem quam Achaïa proditorum copiam genuit. Quo tempore Flamininus in Græciam appulit, Bœotorum fœdus Philippi partes ardentem amplexum erat². Victo Philippo, Bœoti, anno U. C. DLVII, a Flaminio petiverunt ut cives sui, qui in Macedonum exercitu militaverant, sibi redderentur. Flamininus, qui, ob imminens Antiochi bellum, Græcorum amorem captaret, assensus est. Acceptis militibus, Bœoti, Flaminio neglecto, Philippo gratias egerunt. Brachyllam prætorem elegerunt, virum regiæ Macedonum domui amicissimum. At Romanorum fautores Zeuxippus et Pisistratus trepidare, proconsulem adire, sortem suam pessimam esse, et pejorem fore; conceptam in se civium invidiam; nullam sibi fore in patria securitatem, si Romani in Italiam recedant; unam superesse salutem, si Brachyllam occidant³. Respondet Flamininus se, ut cædis non adiutorem, ita ne ultorem quidem fore; viderent ipsi quid in re tali agendum ipsis foret. Scripsit tamen Alexameni, Ætolorum prætori, eumque eis milites ad patrandum facinus commodare iussit. Illi tres Ætolos, tres Italos milites secum ducere, Brachyllam, quum e convivio noctu temulentus

1. Pol. xxx, 20. — 2. Liv. xxxiii, 27. — 3. Pol. xviii, 26.

egrederetur, occidere. Hinc Thebis magna trepidatio fieri; urbs tota terrore compleri.

Postera die, magistratus populum in theatrum convenire per præconem jubent¹. Clamat aliquis Brachyllam a convivis, voluptatum sociis, forsitan interfectum esse. Multi erant qui Zeuxippum suspectum haberent. Quum Brachyllæ socii torquerentur, surgit Zeuxippus, ac negat sibi verisimile videri homines effeminatos tam audax facinus suscepisse. Qua oratione effecit ut alii, securitate ejus moti, suspicionem omnem abjicerent, alii impudentiam mirarentur. Tandem Brachyllæ comites, tormentorum vi superati, declaravere a Zeuxippo et Pisistrato patratum esse scelus. Etsi nihil proferebant quod indicium confirmaret, Zeuxippus noctu Tanagram cum Strattonida quodam confugit. Pisistratus, quasi nihil omnino metueret, Thebis mansit.

Erat Zeuxippo servus, cujus opera in patrando facinore usus erat. Qui quum aptior ad committendum quam ad celandum scelus videretur, Pisistratus certum hominem ad Zeuxippum cum litteris misit, quibus eum monebat, servum sibi quam primum tollendum videri. Nuncius, ubi Tanagram advenit, Zeuxippum quærit; servum, absente domino, offendit, eumque orat epistolam Zeuxippo protinus tradendam curet, ut quæ a Pisistrato de gravissimis rebus scripta sit. Servus, ut erat callidus, pollicetur se epistolam traditurum. Epistola autem prius perlecta, Thebas properat, rem ad magistratus defert. Pisistratus morte mulcatur; Zeuxippus, re audita, Athenas et mox Romam petit. Nec de civibus, de exsilio suo queri ante desiit, quam, victo Antiocho, fracto Bæotorum fœdere, ipsum ab exsilio revocare Thebani coacti sunt.

Haud Callicratis et Zeuxippi dissimiles in Ætolia fuere Lyciscus et Thoas. Thoas unus ex acerrimis Romanorum hostibus fuerat. Nemo majore ardore Antiochum in

1. Liv. xxxiii, 28.

Græciam vocaverat. Eum igitur sibi tradi, post Antiochi cladem, Romani voluerunt¹. Quum tamen, Pantaleonis et aliorum opera in libertatem vindicatus esset, Romanorum partibus cum Lycisco favere cœpit. Ubi adversus Perseum bellum exarsit, hi homines fuere quasi patriæ pestes. Tantam civium iram et indignationem moverunt, ut Thoantem coram Cn. Octavio et C. Popillio Lænate, Romanorum legatis, in concione Ætoli lapidibus obruerint. Lyciscus anno U. C. dxcvii mortuus est. Tunc tantum Ætoli spiraverunt.

Sed hanc omnem proditorum colluviem Charopus Epirota crudelitate et nequitia superavit. Hujus avus, major Charopus, anno U. C. dlvii, T. Flaminino semitam indicaverat, qua Philippi exercitum circumvenire et ex Epiri montibus dejicere potuerat. Mortuo Machata filio, Charopum nepotem Romam misit cum honesto comitatu, ut latinam linguam perdisceret. Adolescens Romæ plurimis inter optimates familiariter usus, postmodum in patriam reversus est, quo tempore Charopus senior e vita decesit². Tunc juvenis suo ingenio levis et omni nequitia refertus, arbitrato suo rempublicam administrare voluit. Civitati præerant clarissimi et optimi viri, Cephalus et Antinous. Hi, conflato adversus Perseum bello, ea mente erant ut pacta cum Romanis fœdera diligentissime servarent, sed nihil ultra adderent, ne quidquam serviliter facere viderentur. Eos Charopus criminationibus et conviciis lacessere, quidquid non pro Romanis fieret, pro Perseo fieri simulans. Hanc primo impudentiam illi negligere, ut qui nullius erga Romanos malefacti sibi conscii essent. Quum vero optimos cives ubique male mulcari, proditores omnia ad arbitrium gerere intelligerent, ad Perseum deficere coacti sunt.

Postquam anno U. C. dlxxxv prætor L. Anicius, debellato Gentio, Epirotas omnes qui populo romano parum

1. Pol. xxviii, 4. — 2. Pol. xxvii, 13.

favisse videbantur, aut necavit, aut in Italiam transtulit, omnibus metu obmutescens, sævire cœpit Charopus, ut qui plenissimam nactus esset furendi licentiam¹. Omnes persuasum habebant nihil eum, nisi Romanorum auctoritate fretum, audere. Ei se adjunxit juvenum audacium et prædæ avidorum manus, qui quasi apertum in Epiro latrocinium exercebant. Inimicorum alios in medio foro palam trucidaverunt, alios in suis domibus, nonnullos in agris aut per vias interfecerunt. Occisorum bona Charopus invasit. Eum adjuvabat mater Philotis : viros ipse, mulieres mater persequatur. Quos non occiderant, per populi concionem in exilium abigendos et bona publicanda curaverunt. Quo majore scelerum impunitate frueretur, Charopus Romam profectus est, a senatu petiturus, ut quidquid in Epiro egisset, decreto Patres confirmarent. Quum autem vel Romam scelerum fama pervenisset, M. Æmilius Lepidus, pontifex maximus, et L. Paulus domo sua ei interdixerunt. Senatores ejus facinora confirmare noluerunt. Charopus Brundisii anno U. C. dxcvii decessit.

Pauciores in Macedonia quam in liberis civitatibus proditores exstiterunt. Quum enim regium esset imperium, nulli erant magistratus quorum auctoritati cives, honorum cupiditate accensi, inviderent. Nec tamen impune græcæ esse poterat Macedonia. Ipsa quasi græcorum malorum contagione laboravit. Fuere nobiles qui, quum intelligerent Romanis impares esse patriæ vires, turpem apud hostes vitam honestæ morti præponerent. Talis fuit Ænesimus, Pythonis filius. Perseo semper pacis auctor fuerat². Eum monuerat, sicut pater ejus Philippus institutum usque ad ultimum diem servaverat, quotidie bis in die fœderis icti cum Romanis perlegendi, ut eum morem, si non semper, saltem crebro usurparet. Quum regem a bello detertere non posset, primo subtrahere sese per varias

1. Pol, xxxii, 21. — 2. Liv. xliv, 16.

causas cœpit, ne interesset iis quæ non probabat, postremo, quum suspectum se esse cerneret, ad Romanos transfugit, ac vere proditor factus est. Quum magno usui Q. Marcio consuli fuisset, Romam se contulit anno U. C. DLXXXIX. Senatus ei per C. Sulpicium prætorem datus est. Postquam sua in consulem merita memoravit, senatus eum in sociorum formulam referri jussit, locum et lautia præberi, agri Tarentini CC jugera dari, et domum Tarenti emi.

Obscuriores quidem, sed numero plures quam legati Græcorum obsides Romæ fuerunt. Hos inter primos reperio Tarentinos, qui anno U. C. DLXI in atrio Libertatis ædis detinebantur¹. Quum negligentius observarentur, fugerunt, sed Tarracinæ capti et in Urbem reducti, virgis cæsi sunt et e Tarpeia rupe dejecti. Quam ob pœnæ atrocitatem Tarentini ad Annibalem defecerunt.

T. Flamininus anno U. C. DLVI Philippum, anno DLVIII Nabim coegit, illum Demetrium, hunc Armenam obsides Romam mittere. Anno DLXIII, P. et L. Scipiones Antiocho XX obsides imperavere. Sequenti anno XL ab Ætolis M. Fulvius accepit. Anno DLXXXV, in Epiro prætor Anicius, quicumque vel levissima hostilis in Romanos animi suspitione erant, eos Romam abduxit². L. Paulus, debellato Perseo, magnam Macedonum copiam cum liberis in Italiam transtulit: nempe regis amicos purpuratosque, duces exercituum, navium et præsidiorum præfectos, et eos etiam qui in aliquibus ministeriis regiis, et vel minimis legationibus fuerant³. Omnes jussi e Macedonia excedere, et in Italiam ire; qui non paruisset, mors ei denuntiata. Eodem anno, quum apud legatos romanos Callicrates e civibus suis nobilissimum quemque insimularet, quasi Perseo favissent, Xenon, qui Achæorum prætor fuerat, respondit se vel coram senatu causam suam victurum. Hac arrepta occasione, legati, quos accu-

1. Liv. xxv, 44. — 2. Pol. xxxii, 21. — 3. Liv. xlv, 32.

satores significavissent, omnes Romam duci jusserunt. Missi sunt in Urbem gentis principes, quicumque circa tempora Macedonici belli in imperiis aut alicujus momenti rebus fuerant, circiter mille. Hos Romani, tanquam a suis judicatos, circum municipia coloniasque Italiae custodiendos dimiserunt¹. Quicumque, aut eo ipso tempore, quum Romam ducerentur, fugiebant, aut postea ex urbibus ubi eos Romani manere jusserant, exire conabantur, hi ubi primum capti erant, morte mulcabantur².

Achæi obsides XVII annis in Italia manserunt. Sæpius legatos Achæi miserunt, qui eos aut a senatu judicari, aut sibi legibus suis judicandos tradi postularent. Sed omnes legati re infecta redibant. Metuebant senatores ne romanarum partium vires frangerent, et eorum auferent numerum, qui retinendam patriæ libertatem censerent. Tandem anno U. C. DCII, quum ea res in senatu denuo ageretur, Scipio Æmilianus, ut Polybio placeret, Catonem compellavit, qui tam longis et inanibus velut fessus certaminibus, exclamavit : « Quasi vero quid agamus desit, sedemus hic de senibus Græcis totum diem disputantes, utrum a nostris an ab Achaicis sandapilariis offerri debeant ! » Hac facetiosa Catonis sententia victi Patres remittendos in patriam exsules censuerunt, quum ex eorum numero vix CCC superessent³.

Horum alii Romanis et antea fuerant infensissimi, et tunc, longo injustoque exsilio exacerbati, majore etiam odio exarserunt. Ex hoc genere erant Diæus, Damocritus et Critolaus. Ut primum in Græciam redierunt, occasionem speculari cœpere, si patriæ impositum a Romanis jugum excutere possent. Quum anno U. C. DCIV, hinc Pœni bellum suscipere cogerentur, illinc in Macedonia Andriscus seditionem movisset, ipsi maximam Achæis recuperandæ libertatis exortam esse occasionem crediderunt. Multitudinem igitur vocaverunt ad bellum. At quod,

1. Pol. xxx, 10. — 2. Paus. Ach. x. — 3. Pol. xxxv, 6.

vel si omnes Achæi in unum conspiravissent, vix fieri potuisset, nempe ut Romanos vincerent, id ob intestinas discordias longe difficilium erat. Plebs quidem duces secuta est. At quicumque intelligebant quam ineluctabiles essent Romanorum vires, illi et insanum et impium esse hoc bellum arbitrabantur; neque enim fieri posse ut aliud, nisi inaudite calamitates in Achæos ingruerent. Itaque, victis apud Scarpheam et Leucopetram militibus, capta et eversa Corintho, duces miserabili morte perierunt, Achæi jampridem mendosam libertatem vera servitute mutaverunt.

Alii patriam ardenti amore prosequantur, sed non ut quid fieri posset, quasi occæcati, intelligere desinerent. Romani imperii vires, quas jam antea noverant, in Italia propius et melius inspexerant. Quum Romanorum leges, mores, militiam, cum patriæ legibus et moribus compararent, non patriæ minus amantes, sed prudentiores evaserant. Igitur Critolai et Damocriti inceptis obstiterunt. Quas calamitates a civibus suis arcere nequiverant, eas, fracto Achæorum concilio, attritis viribus, temperare conati sunt. Ex hoc numero longe clarissimus fuit Polybius.

Is erat Lycortæ filius, quo nullum præstantiorem civem, post Philopœmenis mortem, Græcia habuit. Polybius anno U. C. DLXXXIV magister equitum ab Achæis electus erat, qui magistratus primum in republica locum obtinebat, post prætoris dignitatem. Copiis præfuit, quas in auxilium Q. Marcii consulis Achæi miserunt. Postquam in Italiam cum ceteris evocatus est, jam Scipioni Æmiliano, octavum decimum annum agenti, notus erat. Conciliandæ inter ipsos amicitie ex commodatorum librorum usu, habitoque de his sermone, initium factum erat¹. Itaque, quum Græci evocati per Italiæ municipia distribuarentur. Fabius Æmilianus et Scipio, L. Pauli filii, a prætore impetra-

1. Pol. xxxii, 9.

verunt ut Polybius Romæ maneret. Sic Æmiliorum familiaris et quotidianus conviva evasit. Scipioni ita se addixit, ut ab eo nunquam fere discederet. Eum et in Hispaniam, anno U. C. DCI, et in Africam, tertio punico bello, secutus est. Ei et in obsidenda et in evertenda Carthagine adfuit, neque ullum cum eo subeundum periculum detrectavit¹. Mallem equidem Polybium non tanta fuisse animi constantia, ut Carthaginis excidium immotus spectaret, quum eo ipso tempore corrueret Corinthus.

Scipionis familiaritate usus est, non solum ut historiæ suæ libros conscriberet, sed etiam ut imperii romani provincias peragrando cognosceret. Galliam Cisalpinam, Alpium juga, Hispaniam studiose invisit; in Atlantico mari navigare voluit, et, accepta a Scipione classe, Africæ littus extra Herculis columnas exploravit². Quoties Scipio militiæ muneribus vacabat, Polybius in Italia aut conscribendis libris suis, aut venando operam dabat. Venando Demetrium Nicatorem, Syriæ regum obsidem novit, cujus fugam non mediocriter adjuvit, quum adolescens, longo exilio fessus, patris Seleuci regnum recuperare tentavisset³. Auctoritate etiam sua laborantibus Locrensiis rebus succurrit.

Anno U. C. DCII, patriam repetiit. Sed quum Scipionem in Africam secutus esset, Achæis defuit, quum Diæus et Critolaus bellum inchoaverunt. Haud prius in Græciam reversus est quam quum, eversa Carthagine, Corinthum etiam evertere L. Mummius pararet. Non prohibere potuit quin hanc urbem Romani delerent. Sed quum in eo essent ut Achæi, Arati et Philopœmenis statuas in Italiam transferrent, pervicit ut eas Achæis restituerent. Decem legatos, quos in Achaia res ordinare Patres jusserant, comitatus est. Illi bona Diæi et omnium quicumque Diæo faverant, per præconem venum

1. Amm. Marcell. xxiv, 7. — 2. Pl. M. v, 1, 1. — 3. Pol. xii, 5.

dari jusserunt. Quæstori mandatum est, ut, quæ ex illis bonis Polybius postulasset, gratis ei addicerentur. Non modo nihil ipse ex eis petiit, sed etiam amicis auctor fuit nihil e spoliis attingendi. Quum in eo essent legati ut in Italiam reverterentur, Polybium civitates obire jusserunt, ubi res publicas ad formulam ab ipsis constitutam componeret. Ubique animos pacavit, lites sustulit, judicia restituit, adeo ut, amissa libertate, Græcia publica saltem pace frueretur. Itaque omnes eum urbes honoribus coluerunt. Megalopoli, in patria sua, LXXXII annos natus mortuus est.

Ea ætate vixit, qua difficillima erat Græco homini non publicæ solum, sed vel privatæ rei administrandæ conditio. Omnibus apparebat quam mendosam Græciæ libertatem Romani tribuissent; paucos fallebat, si qua eis civitas obsistere conaretur, eam certo se excidio objicere. Erant qui Romanam dominationem tardare, et patriæ libertatem producere tentarent. Sed in istis populari licentia ægris civitatibus, erant etiam qui, misera ambitione perditæ, Romanis aperte inservirent, et publicæ libertatis ruinam maturarent. Ex his duabus partibus, illæ timidæ, humiles erant, ut quæ, præsentis rerum statui diffidentes, de futuro desperarent; hæ audaces, temerariæ et impudentes. Non is erat Polybius qui se generoso et cæco ardore in manifestum periculum immitteret, nec qui certamen adversus Romanos adeundum censeret, præsertim quod inane in præsens, exitiale in futurum intelligeret. At multo longius a nefaria Diophanis, Callicratis, et omnium qui ruebant in servitudem, ambitione aberat. Maxima ei prudentia inerat, sed majore etiam honestate condita. Prudentior erat quam qui civium admirationem excelso aliquo facinore moveret, sed honestior, quam qui contemptu dignus videretur. Non ego magnum eum virum sed probum ac sapientem vocaverim; nec miror Achæos, uni e statuis quas in honorem ejus erexerant, titulum

hunc inscripsisse : Neque offensuram fuisse Græciam, si Polybii consilio paruisset; et post offensam, illum unum afflictæ patriæ malis levamen attulisse¹.

Hoc apud antiquos belli jus erat, ut victi captique hostes aut necarentur, aut venirent. E captivis suis Romani clarissimum quemque, triumphi causa refinebant. Hos inter aliquot exempla eligemus, unde appareat quæ fuerit apud Romanos captivorum conditio. Huic numero adde- mus nonnullos populi romani hostes, qui, quum a sociis traditi sint, vix a bello captis hostibus dissimiles videntur.

Neminem magni momenti ducem bello adversus Philippum Romani ceperunt. At bello quod adversus Ætolos et Antiochum exarsit, duo nobiles captivi apparent. Prior captus est Philippus Megalopolitanus, Alexandri filius, qui se ab Alexandro magno oriundum profitebatur². E filiis, alterum Philippum, alterum Alexandrum appella- verat; filiam Apamiam Athamanum regi Amyandro dederat in matrimonium. Philippus Amyandrum in Atha- maniam secutus est, regni cupiditate et Ætolorum vani- tate deceptus, qui se ei Macedoniæ regnum daturos esse polliciti erant³. Sed quum adversus M. Acilium Gla- brionem Athamaniam defenderet, obsessa Pellinæo urbe, deditionem sui facere coactus est. Quum e præsidio des- cenderet, obvius fuit ei Philippus, Macedonum rex, qui, ut erat ad jocandum propensus, per ludibrium regem eum consalutari jussit. Ipse congressus, fratrem ridens appel- lavit. Deductus ad consulem, custodiri jussus, et haud ita multo post in vinculis Romam missus est.

Eodem bello captus est Ætolus Damocritus, unus e gentis primoribus. Quum anno DLXIII præturam exerceret, impediverat ne Ætoli cum Romanis societatem prius re- novarent, quam victos apud Octolophum Macedones au- divissent. Quinto post anno, Nabi auctor fuit suscipiendi

1. Paus. Achaïc. x. — 2. Liv. xxxv, 47. — 3. Liv. xxxvi, II.

belli adversus Romanos. Nec multo post Flamininum graviter offendit. Quum enim Ætoli fœdus cum Antiocho iniissent, Flaminio decretum Ætolorum quo arcessendum regem Syriæ censuissent, poscenti respondit : in Italia daturum, quum castra Ætoli apud Tiberis ripas posuissent. Idem, victo apud Thermopylas Antiocho, urbem Heracleam adversus M. Acilium defendere conatus est. Capta urbe, in arcem se Ætoli receperunt, fractis animis, et nulla ibi præparata re ad tolerandam obsidionem. Itaque ad primum Romanorum impetum, abjectis armis sese dediderunt¹. Traditus est inter ceteros Damocritus, et a M. Acilio cum fratre et XLI principibus Ætolorum bello captis Romam deductus. Omnes in Lautumias coniecti sunt, donec consulis triumphum ornarent. Multi vel vulneribus, vel alio casu occubuerunt. Ipse Damocritus, quum e carcere noctu aufugisset, in ripa Tiberis consecutis custodibus, priusquam comprehenderetur, gladio se transfixit².

Post Persei cladem, multi nobiles captivi Romam missi sunt. Ipse Perseus, quum exhaustum regnum suum, ac neminem jam sibi fidum intelligeret, in insulam Samothraciam fugere coactus est. Comitabantur eum liberi ac pueri regii (sic vocabantur apud Macedones principum liberi, ad regis ministerium electi), ac pauci amici. Interea tota Macedonia in manus L. Pauli ceciderat. Prætor Cn. Octavius in Samothraciam brevi appulit cum classe. Jam a Perseo omnes deficiebant. Quum adventare consulem audivisset, epistolam ei misit, cui titulum hunc inscripserat : Perseus rex L. Æmilio consuli. Consul qui, paucis ante diebus, conspecta tanti regis clade, læcrimas effuderat, ejus dementiam miratus est, qui etiamnum regis nomen retineret. Ne responsum quidem edidit. Novam ei Perseus, sine regio titulo, epistolam misit. Tres legati Samothraciam missi sunt, qui cum illo colloquerentur. Sed

1. Liv. xxxvii, 3. — 2. Liv. xxxvii, 46.

nihil ea legatione perfectum est, Perseo regium nomen omni vi amplectente, Paulo ut se suaque omnia in fidem et clementiam populi romani permitteret contendente¹.

Hoc Perseo supererat ut fugeret. Statuit in Thraciam, ad Cotym regem se recipere. Oroandem Cretensem appellat, ac mercedem paciscitur, qua ipsum ad Cotym devehat. Oroandes, accepta regis pecunia, primis tenebris anchoram solvit, et in Cretam navigat. Rex media nocte ubi ad mare pervenit, intellecta Oroandis fraude, ad hospitium redire non ausus est. In latere templi, prope angulum obscurum delituit. Regii pueri ne tunc quidem abscedebant, donec jussu Cn. Octavii per præconem pronuntiatum est, regios pueros, Macedonesque alios, qui Samothraciæ essent, si transirent ad Romanos, incolumitatem, libertatem et omnia bona servaturos. Ad hanc vocem, transitio omnium facta est. Liberos quoque parvos regis, novissima proditione, Ion Thessalonicensis prætori tradidit, nec quisquam præter Philippum, maximum natu liberorum, cum rege redictus est. Tunc, quum se ab omnibus aut deseri, aut prodi videret, Perseus sese filiumque Octavio tradidit. Octavius regem ad consulem misit, præmissis litteris quibus in sua potestate Perseum esse admoneret.

L. Paulus Q. Tuberonem Amphipolim regi obviam ire jussit. Ceteros omnes in prætorio frequentes esse voluit. Castra tunc Sirrhæ, in Odomantica, habebat. Ubi Perseus in castra ingressus est, tanta eorum qui regem videre cupiebant, multitudo fuit, ut nisi consul ei per lictores viam aperuisset, vix ad prætorium venire potuisset. Postquam in prætorium intravit, Paulus ceteros quidem sedere jussit; ipse progressus, misero regi dextram porrexit, submittentemque se ad pedes sustulit. Græco sermone percontatus est, qua subactus injuria, tam infesto animo bellum adversus populum romanum suscepisset. Quum

1. Liv. XLV, 5 seq.

rex, terram intuens, diu tacitus fleret, consul miratus est quod ea ætate tam exitiale bellum aggressus esset, quum præsertim et vivo patre, et dum ipse regnaret, populi romani in hostes virtutem et felicitatem, in socios fidem experiri potuisset. Addidit, quacumque causa hæc evenissent, sive hominum voluntate, sive fortuna, eam esse populi romani clementiam, ut non modo spem, sed prope certam salutis fidem concipere posset. Hac habita oratione, quæ rhetore dignior videri potest quam imperatore, ad suos conversus, latino sermone ostendit quam variæ, quam dubiæ res humanæ essent, et quantam in utraque fortuna modestiam et constantiam necessariam haberent.

Consul Perseum et ejus liberos Q. Tuberoni commisit. Regii captivi totum annum Amphipoli manserunt¹. Hinc, anno U. C. DLXXXVI, Romam traducti sunt, ut victoris triumphum ornarent. Quum Paulus Perseum summa semper comitate tractavisset, infelix ab eo petiit, ne per urbem triumphantem sequeretur. Respondit consul id penes eum et antea fuisse, et nunc esse. At rex, ut nuper se, captis liberis, Octavio tradiderat, sic, liberorum amore, noluit malis suis finem voluntaria morte imponere. Triumphantis ergo currum sequi coactus est. Tanta in hoc bello præda parta erat, ut tribus diebus triumphus continuatus sit. Tertio tantum die captivi et obsides incesserunt. Longum erat ac nobile captivorum agmen, quos inter apparebat Bitis, Cotyis regis filius, obses in Macedoniam a patre missus, ac deinde cum Persei liberis captus; tum ipsius Persei liberi, comitante educatorum et magistrorum cohorte, manus ad spectatores miserabiliter tendentium, et pueros docentium suppliciter implorandam victoris populi misericordiam. Filii erant duo Philippus et Alexander, filiaque una, qui eo majorem movebant misericordiam, quod ipsi per ætatem vix mala

1. Plut. Paul. Æm.

intelligere poterant. Pone filios incedebat cum uxore, Prusiæ regis filia, Perseus, pullo amictu, stupenti et attonito similis, ut cui magnitudo malorum mentem eripuisse videretur. Sequebatur amicorum et familiarium turba, quorum in vultu dolor gravis eminebat, et qui dum semper in regem oculos figerent lacrymantes, satis indicabant se regis sortem magis quam suam lugere.

Peracto triumpho, Bitis ceterique Thracum obsides, petentibus Cotyis legatis, in Thraciam remissi sunt. Perseus cum liberis Tulliano carcere inclusus est¹. Quum vix suppeteret spatium, brevi in eo inclusi homines tam horrido fuere adspectu, ut feris similes viderentur. Quum præterea ibi et cibum accipere, et corpus curare, si quid naturæ necessitas poscebat, cogerentur, odor vix tolerabilis emanabat. Septem dies in hoc carcere Perseus mansit. Ceteri Macedones, in tanto calamitatis cumulo, sui potius quam regis immemores, partem ei ciborum tribuebant. Romani Perseo pugionem et laqueum apposuerant, quasi ut admonerent, nihil ei superesse, nisi ut vitæ finem imponeret. Forsan tot ærumnis victus occubisset, nisi ejus L. Paulus et M. Lepidus meminissent. His tandem auctoribus patres decreverunt ut, Albam Fucentiam cum liberis ductus, in libera custodia retineretur². Perseus anno U. C. DLXXXVIII inedia sibi mortem conscivit. Defunctum publico funere, in honorem pristinae fortunæ, senatus sepeliri jussit³. Superfuerunt ei liberi, quorum Alexander fabriles artes didicit, deinde scriptum fecit, operamque albanis magistratibus locavit. Philippus, biennio post Perseum, Albæ, XVIII annos natus, mortuus est.

Haud multo post Persei mortem, Romæ fuit vir callidus, vafer et audax, qui regiam Macedoniæ domum tantum non ultus est : hujus certe domus inauditam calamitatem inaudita per quatuor annos felicitate superavit.

1. Diod. Sic. xxxi, 6. — 2. Strab. v, 8. — 3. Plut. Paul. *Æm.*

Hic erat Andriscus, Persei liberis simillimus oris lineamentis. Narrabat se ex Perseo et pellice ortum; traditum Cretensi cuidam educandum, ut in belli casus aliquod semen regiae stirpis exstaret; mortuo Perseo, Adramytti ad duodecimum ætatis annum educatum, quum patrem eum crederet, a quo educaretur; tunc demum veram sibi detectam originem, quum morbo confectus breviterque moriturus educator videretur¹. Andriscus fugit, Macedoniam petiit, bellicosamque gentem, pristinae libertatis nondum immemorem, ad bellum facile impulit. Partem Thessaliae et Thraciae in societatem adduxit. Omnes ei, tanquam divinitus servato regi, parebant. Ipse regio certe animo et virtute eminebat. Sed a Q. Metello apud Pydnam victus, a Byra, Thraciae rege traditus est. Catenis vinctus Romam rediit, hoc quoque illi in malis indulgente fortuna, inquit Florus, ut de eo populus romanus, quasi de vero rege triumpharet.

Persei clades multis inter Græcos luctuosa fuit. Quum enim nihil jam Romanorum dominationi obstaret, desierunt impotentiam suam amplius dissimulare. Quicumque suum in Perseum favorem imprudentius professi erant, aut in græcis urbibus a Romanis securi percussi sunt, aut in Italiam evocati, aut a civibus, placandi populi romani causa traditi². Rhodi Polyaratus et Dino, Coi fratres Hippocritus et Diomedon Persei causam summo studio egerant. Post Persei cladem, in summas ærumnas inciderunt. Cives enim unam sibi salutis viam superesse credere, si eos Romanis traderent. Traditi sunt protinus Dino, Hippocritus et Diomedon. Polyarati longiores fuerunt ærumnæ. Quum enim ea tempestate in Ægypto versaretur, eum Romanis tradi jussit C. Popillius Lænas. Rex Ptolemæus Philometor, Rhodiorum reverentia motus, maluit eis quam Romanis Polyaratum tradere. Igitur navigio impositum, et Demetrii cujusdam custodiae cre-

1. Liv. suppl. XLIX, 59. — 2. Pol. xxx, 6.

ditum, Rhodum, præmonitis Rhodiis, destinavit. Navis in trajectu Phaselidem appulit. Polyaratus, imminetium malorum metu vix sui compos, custodes fefellit, sumptisque verbenis atque infulis, in penetrabile urbis confugit. Phaselitæ, metuentes ne, si pœnæ subduceretur, malum in se recideret, Rhodios precati sunt ut ipsi Polyaratum accipere vellent. Rhodii, qui Romanis valde suspecti essent, navem apertam miserunt, quæ hominem comitaretur, sed vetuerunt præfectum eum in navem excipere, Alexandrinis enim mandatum esse ut eum Rhodum deferrent. Navis igitur Phaselidem appulit; Epichares Rhodius negavit se hominem navigio suo excepturum. Tunc Demetrius, cujus custodia Polyaratus commendatus erat, exurgere eum ac proficisci jubebat; Phaselitæ urgebant, ne quid detrimenti ob ejus amentiam civitas sua caperet. Polyaratus, quum omnes eum lacerarent, navem rursus conscendit.

Jam in eo erant ut solverent, quum, subita occasione usus, se proripuit et Caunum petiit. Ibi, Cauniorum fidem implorare; Caunii, qui Rhodiorum vectigales essent, preces ejus aspernari. Polyaratus tunc a Cibratis auxilium petere, quibus notus erat. Cibratæ eum in urbem acceperunt. Sed et se et ipsos in graviolem quam antea difficultatem conjecit: neque enim illum retinere audebant, metu Romanorum, nec Romam devehere poterant homines mediterranei. Legatos Rhodum et in Macedoniam ad L. Paulum miserunt, rogantes ut Polyaratum accipere vellent. L. Paulus jussit Cibratas eum arcta custodia observare, Rhodios Romam deferre. Sic Romam deductus est, ubi vel lictoris securi cæsus, vel horrido carcere inclusus periret.

Romani longe mitiore animo fuerunt erga Leptinem et Isocratem, a Syrorum rege traditos. Quum enim in Antiochi Epiphanis locum, anno U. C. DLXXXIV successisset Antiochus Eupator, Romani in Syriam Cn. Octavium

miserunt, qui, specie confirmandæ Eupatoris auctoritatis, naves ureret, elephantis nervos incideret, regias opes omni modo imminueret¹. Junior erat Eupator, timidior Lysias, tutor ejus, quam qui Octavio resistere auderent : sed omnes audaciam romani legati indigne ferebant. Itaque a Leptine quodam, dum in Laodiceæ gymnasio ungebatur, occisus est. Patrata cæde, Leptines Laodiceæ versatus est in publico, aperte dicens se pro merito cum Octavio egisse, et ad id Deorum sententia fuisse impulsus². Erat tum in Syria rhetor Isocrates, unus ex his declamatoribus, qui urbes peragrare et publicas declamationes habere soliti erant. Sed ceteros omnes facundia et temeritate longe superabat. Etsi Græcis ipsis invisus, magnam sui opinionem præ se ferebat, Syros parvi faciebat, bene cum hac gente actum ratus, cui a Diis concessum esset, ut sua eloquentia frueretur. Quum eum se crederet qui in omnibus excelleret artibus, ne a publicis quidem rebus abstinuit in dicendo. Professus est jure occisum esse Octavium ; quin ceteros etiam populi romani legatos jugulandos, ut ne unus quidem superesset, qui nuntium Romam referret ; neque enim tolerandam esse Romanorum audaciam, qui ubique imperarent, ubique rerum dominos se gererent.

Lysias nec Leptinis scelus ulcisci, nec Isocratis audaciam cohibere ausus est. Curavit tamen ut Octavius publice sepeliretur. Legatos Romam misit, qui sceleris invidiam a regere Eupatore averterent. At rex a Demetrio ejectus est. Demetrius Romanos placare et sibi conciliare statuit ; neque enim invito senatu regnum retinere poterat. Leptinem igitur et Isocratem arripi et Romam traduci jussit. Leptines animi constantiam non deposuit. Ipse regem ultro adiit, precatus est ne in Laodicenses sæviret aut Octavii morte moveretur ; ipsum enim Romam profecturum, et Patribus probaturum Deorum jussu

1. App. Syr. xlvi. — 2. Pol. xxxii, 6.

occisum a se Octavium. Quum nec custodibus obsisteret, nec Romanos metuere videretur, sine vinculis Romam ductus est. Isocrates contra, ubi nomen suum delatum audit, mente prorsus alienatus est. Ubi vero collum etiam sibi boia circumdari vidit, et catenas admoveri, animum et spem omnino despondit; raro cibum sumere, corporis cultum aspernari, nec sordes, nec capillos aut barbam curare. Quum in hac sui negligentia annum consumpsisset, postquam Romam ductus est, feræ potius quam homini similis erat, nec minore terrore quam misericordia spectantes implebat. Leptines ad extremum sui compos mansit. Petebat ut sibi daretur senatus; nihil sibi a Romanis impendere; salvum et incolumem evasurum. Nec sua eum spes fefellit. Senatus traditos homines accipere noluit. Integra omnia servavit, ut si qua forte occasio opportuna videretur, patratum facinus vindicaret. Hoc Demetrio responsum dedit, senatum suam benevolentiam illi impertiturum, si senatui secundum regni potestatem satisfaceret. Maluerunt Patres præsentī pena Leptinem et Isocratem, quam futuro metu Syriam liberare.

CAPUT III

De Græcis qui Romæ constitutum domicilium
habuerunt

PHILOSOPHI, RHETORES, GRAMMATICI, PICTORES,
SCULPTORES, POETÆ, MEDICI, AETALOGI, SERVI

Ostendimus qui Græci Romanos in subigenda Græcia aut adjuverint, aut impugnaverint. Ad eos nunc accedimus, qui, quum Romæ constitutum domicilium habuerint, Romanorum vere præceptores fuerunt. Romam enim ipsi subegerunt, non armis, sed artibus. Horum e numero primum locum obtinent philosophi, rhetores, grammatici, pictores et sculptores. Qui quales fuerint, et qualem secum suppellectilem afferrent, breviter exponamus necesse est. Hinc enim facilius intelligetur quo modo Romanorum animis potiti sint.

Quo tempore Romam penetraverunt, maximus erat in Græcia et græcanicis coloniis liberalium artium splendor. Athenis, Corinthi, Pergami, Rhodi, pictores et sculptores florebant. Non solum eis favebant Ægypti et Pergami reges, sed vel inter liberas civitates, nulla erat adeo humilis, adeo obscura, quæ nobilibus statuis aut tabulis careret. Longe inferior erat litterarum conditio. Haud quod minore quam antea studio colerentur, sed in omni earum parte, quæ fingendi quam vocamus facultatem necessariam habet, quasi exhaustum erat Græcorum ingenium. Nihil novi tentare audebant; hoc eis satis erat

si antiquos imitarentur. Ipsa degeneraverat eloquentia. Atticorum simplicitati succedebat Asiaticorum facundia, quorum ea erat ratio, ut sententiarum subtilitate et verborum magnificentia auditores delectarent potius quam moverent†.

Aliæ tamen apud Græcos artes exortæ erant. Grammaticorum et rhetorum ætas cœpta erat. Majorum libros, quorum vim ac virtutem assequi non poterant, recensebant et emendabant. Quid apud antiquos præcipue mirabile esset notabant; generis cujusque leges explicare conabantur. Hinc clarissimæ grammaticorum et rhetorum scholæ exortæ sunt, quales Alexandria Aristarchus, Pergami Crates Mallotes, Rhodi Apollonius et Molo, ceteris in Asia civitatibus Hierocles et Meneclæ condidere. His omnibus mira inerat facundia, et inaudita scribendi fecunditas. Octingentos ab uno Aristarcho libros editos esse traditum est. Quodcumque ante ipsos dictum aut scriptum erat, optime noverant. Ut ad quidquam novi scribendum inepti, sic ad tradendam dicendi et scribendi artem aptissimi erant.

Philosophia apud antiquos quodcumque nunc scientiarum nomine intelligimus, amplectebatur. Scientias Græci tertio ante J.-C. seculo studiosissime coluerant. Physicis Heron, Ctesibius, Conon et Archimedes dederant operam; geographicis rebus Eudoxus Cyzicenus et Artemidorus, geometriæ Euclides; cœlestium rerum ordinem investigaverant Aristarchus Samius et Eratosthenes, quos postea Hipparchus superavit. Terræ formam et magnitudinem metiti erant, ut veram orbis mensuram tantum non assequerentur. Quod ad siderum motus attinet, non solum errantes quas vocabant stellas, solisque et lunæ cursum et defectiones notaverant, sed sphaeram excogitaverant, cujus singulæ conversiones idem in sole, luna et errantibus stellis efficerent, quod in cœlo singulis diebus et

† Quintil. xii, 10.

noctibus fieri videtur¹. Nec parvam discipulorum philosophi movebant admirationem. quum eis tantam et tam magnificam rerum seriem exprimerent.

Ceteræ autem philosophiæ partes summa inter Academicos, Stoicos et Epicureos exorta contentione quasi renovatæ erant. Qui quum de finibus bonorum et malorum acerrime disputarent, inde evenit ut ea præsertim explarent, quæ ad communem vitam et quotidianam pertinerent utilitatem. Quodcumque ad varia officiorum genera spectat, quodcumque hominum mentes adversus fortunæ casus confirmare potest, investigabant. Certa de paupertate, de vita inhonorata et ingloria, de morbis, remedia invenerant. Separatim ac certis libris de interitu patriæ, de exilio, de debilitate, de cæcitate, et de omni casu in quo nomen solet poni calamitatis, disserebant². Nec minore quam rhetores erant fecunditate. Jam Chrysippus, unus e Stoicæ sectæ conditoribus, octo libros ediderat, nec defuerunt qui ejus exemplum sequerentur. Etsi de eisdem rebus multi jam scripserant, non ideo ceteri despondebant animum. Inde fiebat ut, propter eorum qui scribebant multitudinem, græcæ bibliothecæ infinita librorum copia refertæ essent³.

Quanquam eorum disputationes nec venustate carebant, nec utilitate. Neque enim hæ vanæ erant exercitationes, quales in rhetorum ludis postea fieri solitæ sunt. Præsentibus, non fictis malis mederi conabantur. Quum de interitu patriæ libros conscriberent, ut recens Romanis eversæ Carthaginis memoria, sic acrior Græcis solo æquatæ Corinthi imago obversabatur. Repulsas autem in petendis honoribus, exilium, paupertatem, multi vel inter Romanos Græcorum amicos experti erant. Disciplinam ergo Græculi afferebant, quæ Romanorum moribus

1. Cic. de Nat. deor. 11, 34. — 2. Cic. Tusc. 111, 34. — 3. Cic. Tusc. 11, 2.

mirum in modum apta esset. Nec voce tantum et scholis, sed vita etiam præcepta confirmabant. Stoicos reperire erat qui, vel membris capti, vel gravissimis doloribus laborantes, malum esse corporis dolorem negarent ¹.

His artibus, nempe litterarum, eloquentiæ et sapientiæ studio, Græculi jam plerasque orientis partes ceperant. Non solum Alexandria, Antiochia, Seleucia, et omnes ab Alexandro aut Alexandri legatis conditæ urbes, sed Tyrus, Sido, Gadara, Marathus, Alabanda, Scepsis, multæque aliæ aut barbaræ antea, aut ignotæ civitates, in græcanicas quasi colonias mutatae erant. Undique scholæ aperiebantur, magistri aderant, discipuli concurrebant. Credas Græcos homines nunquam magis ingenio valuisse, quam quum ad regendas civitates suas tuendamque libertatem ineptissimi viderentur.

Quum tot uberrimos fructus in Asia minore, Syria et Ægypto colligerent, quum suas artes per tot diversissimas regiones diffunderent, haud verisimile erat eos Romæ aut clausas optimi cujusque aures, aut rebellem animum inventuros, quum præsertim paratam, ut ita dicam, et quasi tritam viam haberent. Jam enim quid in hac urbe efficere valerent intelligere poterant. Ante quam ipsi Romam penetrarent, eorum ibi studia florere cœperant. Hujus rei per poetas initium factum erat. Primus omnium Livius Andronicus, Tarento, ex urbe græca, oriundus, quum a domino suo, Livio Salinatore, cujus liberos educaverat, manumissus esset, græcam in Aventino monte scholam instituit. Mox etiam, anno U. C. dxxiii, græcam in theatro fabulam docuit. Livii Andronici exemplum Cn. Nævius et Q. Ennius secuti sunt. Uterque antiquis Atellanis valedixit, et græcas fabulas aggressus est. Comœdiæ præsertim Nævius, tragœdiæ Ennius operam dedit. Hoc eis consilii fuisse videtur, ut græcas litteras Romam inducerent. Neque enim fabulas solum

1. Cic. Tusc. 11, 26.

vertere aut imitari tentaverunt. Livius Odysseam vertit, Ennius Phaëtica etiam, et aliud carmen, quod Epicharmus inscriptum erat, composuit. Nævius et Ennius cum ipso Homero æmulari conati sunt, quum annales suos conscriberent.

Horum vestigiis secundo ante J.-C. seculo multi institerunt. Ea fuit vere aurea latini theatri ætas, quum trægœdias Pacuvius et Attius, comœdias Plautus, Cæcilius, ac postea Terentius et Afranius docerent. Omnes quasi Græcorum spolia arripere properabant. Quod multis ante annis Sophocles, Euripides et Menander finxerant, Romani plausu exceperunt. Haud quod exemplaria quibus utebantur serviliter verterent. Imo Græcos eodem modo imitabantur, quo noster Racinius Euripidem interdum secutus est. Haud raro accidit ut in ipsa Græcia Plautus romanos magistratus, romanas leges, patronos cum clientibus vivere fingat. Sed quamvis græcis moribus romanos mores miscuerint, quamvis togatas etiam fabulas conscripserint, omnes hujus ætatis poetæ Græcorum erant discipuli, Græcorum artes colebant, vestigia sequebantur, litteras pro virili parte propagabant.

Multum igitur Græcos in occupanda urbe Roma adjuverunt. Magnum tamen inter Romanos et barbaras Asiæ gentes discrimen semper fuit. Hæ gentes enim Græcorum artes ita acceperunt, ut eas omnes simul haurirent, et ipsæ omnino græcanicæ fierent. E græcis artibus Romani eas tantum hauserunt, quas sibi usui fore intelligebant, et eas quidem ipsas ita sumpserunt, ut ad usum suum accommodarent. Quæ apud ipsos antea floruerant artes, non omiserunt, sed in melius mutaverunt, et quasi græco succo renovaverunt. Quo ipso tempore Græcorum disciplina et litteris maxime imbuti erant, Romani tamen ad extremum permanserunt. Hinc evenit ut doctissimæ Orientis civitates philosophos, rhetores, grammaticos præsertim ediderint: Roma oratores, poetas, historiarum scriptores

edidit. Quid plura? Quos in ipsa Græcia seniles fructus Græcorum doctrina proferebat, eosdem in Oriente etiam protulit. Romæ tantum reviviscere, et quasi novam juventutem invenire visa est. Quod quidem nemo mirabitur, si reputaverit præcipuas Græcorum artes, nempe eloquentiam, historiam, poesim, ex ipsa civitatum libertate exortas esse, et ita adolevisse, ut in liberis tantum civitatibus florere possent. Ut amissa libertate in Græcia et Oriente degeneraverunt, sic Romæ plenam maturitatem assecutæ sunt.

Si quis a secundo punico bello ad actiacam pugnam centum et septuaginta annorum spatium consideraverit, quibus Græci Romanorum animo potiti sunt; hoc in spatio tres ætates facile inveniet; quarum una a secundo punico bello ad C. Gracchi cædem patet; altera a C. Gracchi cæde ad L. Syllæ mortem; tertia a L. Syllæ morte, ad actiacam pugnam. Prima ac secunda ætate, rhetorum ac philosophorum nobilissimi nondum hunc morem instituerunt, ut Romam sibi quasi alteram patriam arbitrarentur. In Asia Græciaque scholas suas habent, græcisque aut asiaticis auditoribus contenti sunt. Athenis Carneades, Clitomachus, Charmadas, Philo, Mnesarchus philosophi; in Asia Hierocles, Meneclæ, Æschines, Metrodorus, Apollonius, Molo rhetores, Crates grammaticus, Nicander poeta, Hipparchus siderum investigator manent. Si quis eorum paulo ambitiosior est, qualis Metrodorus Scepsius, apud græcanicos aut barbaros reges vitam agit, eorumque res administrat. Plerique Romam non nisi per publicarum rerum occasionem se conferunt. Sic anno U. C. DLXXXIII Crates Mallotes a rege Eumene missus est, qui Persei apparatus Patribus denuntiaret. Anno U. C. DXCIX nobilissimos urbis suæ philosophos Carneadem, Critolaum et Diogenem Romam Athenienses miserunt, qui veniam a senatu ob Oropi vastationem precarentur. Clarissimus rhetor Molo bis a Rhodiis missus est, anno U. C.

dclxxv, ut auxilium adversus Mithridatem peteret, anno U. C. dclxxv, ut Mithridatici belli præmium efflagaret. Ex hoc numero Panætium et Philonem excipias necesse est, qui Romanis privatis de causis, alter secundo ante J.-C. seculo, alter anno U. C. dclxv se contulerunt.

Etsi Græcorum flos delibatus in Oriente erat, magna tamen rhetorum et philosophorum copia Romam brevi invadit. Jam anno U. C. dlxxxvi, tantum in urbe numerum refert Polybius, ut adolescentes præceptoribus non careant¹. Plebecula quidem Græculis invidet, et artes eorum majore odio quam favore excipit. Poetæ, ut plebi placeant, in comædiis rhetores et philosophos maledictis lacessunt. Græcorum fidem notant, quasi Romana fide longe inferiorem². Novo etiam verbo utuntur, pergræcari, quo Græcorum luxuriam et libidinem significant³: sed optimates qui valeant Græci multo melius intelligunt. Eorum operam in educandis liberis adhibent. Apud L. Paulum, Metrodorum Atheniensem reperire est, virum et in philosophia et in pictura probatum⁴; apud Corneliam, Gracchorum matrem, Diophanem Mitylenæum, Blossium Cumanum, et Menelaum Marathenum. Præterea, si quis clarus rhetor aut philosophus Romam advenit, circa eum concurrunt adolescentes, ut ejus sermonibus et oratione fruantur.

Romani optimates nullam prætereunt occasionem doctos viros audiendi, eorumque studiis favendi. Cato Major anno U. C. dclxiii, recepta per Q. Fabium Tarento, apud Nearchum philosophum moratur, etcum eode Pythagoræ disciplina disserit⁵. Idem, anno U. C. dlxiv Romam Ennium poetam e Sardinia secum adducit. Ennio favent nobilissimi cives, ac præsertim major Africanus et T. Flamininus. Eum anno U. C. dlxiv M. Fulvius Nobilior in Ætoliam ducit, cohortique suæ adscribit. Civitatem ei

1. Pol. xxxii, 10. — 2. Plaut. Asinar. 184. — 3. Plaut. Mostell. 24. — 4. Pl. M. xxxv, 40. — 5. Plut. Cat. Maj.

tribuit Q. Nobilior, M. F. Quum anno U. C. DLXXXIII, septuaginta natus annos mortuus esset, statuam ejus Scipio sepulcro suo imposuit¹. Maxima fuit Scipionis Æmiliani et C. Lælii cum Terentio, maxima D. Bruti cum Pacuvio et Attio familiaritas. Scipionis Æmiliani erga Polybium amicitiam supra memoravimus. Scipio non minore cultu Panælium amplexus est. Neque enim solum ejus sapientia frui voluit, sed Lælio, Fannio, Tuberoni suasit ut eum audirent. Eum in domo sua habitare jussit, comitemque sibi assumpsit nobili illa legatione, quam in Ægyptum et Orientem post censuram obiit².

Quum tanto ardore Romani Græcorum doctrinam caperent, brevi evenit ut eorum multi græca lingua tanquam sua uterentur. Græce historiam scribit Scipio, P. Africani filius, et eam quidem jucundissime³. Exemplum ejus sequitur A. Posthumius Albinus. Græcam apud Rhodios habet orationem Tib. Gracchus, quum a Senatu, anno U. C. DLXXXVI, missus sit, qui res Orientis componat. Si Romanos omnes qui, prima quam diximus ætate, nobilem in republica locum obtinuerunt percenseas, paucos reperire est græcarum litterarum ignaros. In numero doctorum virorum ponas necesse est L. Paulum, qui Perseum superavit; Q. Metellum, qui Macedoniam in provinciæ formam redegit; L. et Sp. Mummios, qui Corinthum everterunt; D. Brutum, qui Galliaicos subegit; M. Flaccum, qui anno U. C. DCXXVIII bellum in Gallia Narbonensi redintegavit; C. Sulpicium Gallum, qui de cœlestium rerum ordine librum conscripsit⁴. Idem, quum in L. Pauli exercitu legatus esset, lunæ defectione attonitos milites docuit nullum esse prodigium, idque et hac nocte factum esse, et certis temporibus semper futurum, quum sol ita locatus foret, ut lunam suo lumine non posset attingere⁵.

Pictura et sculptura quid valeant Romani intelligere

1. Pl. M. VII, 31. — 2. Cic. Acad. 11, 2. — 3. Cic. Brut. 59. —
4. Pl. M. XXXV, 40. — 5. Cic. de Rep. 1, 15.

incipiunt. Non solum, victo Perseo, L. Paulus omnia Græciæ monumenta studiose invisit, sed ab Atheniensibus pictorem petit, qui triumphum suum exornet¹. Jam anno U. C. cccxc M. Messala tabulam picturæ prælii, quo Pœnos et Hieronem in Sicilia devicerat, in latere curiæ Hostiliæ proposuerat. Fecit idem anno dlxiii L. Scipio Asiaticus, tabulamque victoriæ quam apud Magnesiam retulerat posuit in publico. Quinque et quinquaginta post annis, L. Mancinus, qui Carthaginem primus irruperat, situm ejus urbis oppugnationesque depictas in foro locavit. Ipse assistens, quum singula populo enarraret, magnum sibi apud plebem conciliavit favorem². Nihil tamen artium monumenta magis commendavit, quam L. Pauli et L. Mummii triumphi. Ex hoc enim tempore Roma Orientis spoliis ornari cœpta est. Nec multo post, D. Brutus, quum Herculi Victori templum ædificavisset ob domitam Gallæcorum gentem, M. Pacuvium poetam elegit, qui parietes pictura ornaret³.

Erant etiam qui philosophiam colere inciperent. Lucilio poetæ et C. Censorino, qui consul fuit anno U. C. dciv, Clitomachus, novæ academiæ philosophus, libros scribit de sustinendis assensionibus⁴. Stoicorum disciplinam amplectitur Sp. Mummius, I. Achaïci frater⁵. Sed nemo Q. Tuberonem et P. Rutilium superavit, qui plane Stoici evaserunt. Nunquam Panætii erga Tuberonem deferbuit amicitia. Etsi post Scipionis mortem Athenas reversus est, non ideo discipulum suum oblitus est. Crebras etiam tum ei litteras mittebat, quibus amorem virtutis in nobili adolescente auget. Nunc illud Ennianum Appii Claudii carmen de persequendo adversus Pyrrhum bello commendabat :

Quo vobis mentes, rectæ quæ stare solebant, etc.⁶

Nunc Crantoris librum de Luctu laudabat, utpote non

1. Pl. M. xxxv, 40. — 2. Pl. M. xxxv, 7. — 3. Pl. M. xxxv, 4.
— 4. Cic. Acad. 11, 22. — 5. Cic. Brut, 26. — 6. Cic. Tusc. iv, 1.

magnum, sed aureolum, non legendum, sed ad verbum ediscendum ¹.

Ex iis quæ jam retulimus facile apparet, prima quam diximus ætate, Romanos optimates Græcorum doctrina et litteris omnino imbutos fuisse. Haud quod nulla pristinae incitiæ vestigia superessent. Vix credibile, certum tamen est, nullum solarium horologium in urbe fuisse ante annum cccxcī. Quod quum e Sicilia M. Messala attulisset, ne congruebant quidem ad horam ejus lineæ. Paruerunt tamen eis Romani annis xcix, donec Q. Philippus, qui cum L. Paulo fuit censor, diligentius ornatum juxta posuit. Etiam tum, nubilo erant incertæ horæ. Tandem Scipio Nasica primus clepsydram adhibuit, quæ noctis et diei horas æque divideret. Hanc anno U. C. dlxcv dicavit ². Quanta esset plerumque clarissimorum virorum incitia, ex hac L. Anicii prætoris symphonia intelligi potest, quam anno U. C. dlxxxv datam adeo lepide narrat Polybius ³. Ceterum, vel maximi cives, quum Græcorum artes et scientiam studiosissime colere videantur, mores suos retinent, et Romani manent. Quamvis L. Paulus Achæorum amorem captet, Græciæ monumenta miretur, et Polybio faveat, non ideo Macedonibus aut Epirotis parit. Quamvis Græcorum scientiam omnem assecutus sit C. Sulpicius Gallus, Achæos et Eumenem acerrime vexat, ut in hunc regem, quem Græcorum plerique, quasi quemdam causæ communis proditorem, oderant, publicum favorem excitet ⁴. Adde quod, ut Græcas artes omnes simul accipiunt, ita non omnes colunt, sed eas deligunt, quibus sibi opus esse credunt. Neque enim adeo diffluunt otio ut Græcos imitari possint. Est ipsis administranda respublica, sunt adipiscendi gerendique honores. Quid plura? E græcis artibus, quæcumque ipsos a rebus publicis amoveant, eas negligunt, ut quibus ad majora

1. Cic. Acad. 11, 44. — 2. Pl. M. vii, 60. — 3. Pol. xxx, 13. — 4. Pol. xxxi, 9.

officia vix tempus suppetat. Poesim quidem ad futuram patriæ gloriam non parvi momenti fore intelligunt. Hanc tamen, præter Lucilium, equitem romanum, alienigenæ tantum, quales Ennius, Pacuvius, Attius, Plautus, Terentius, Cæcilius, aut plebeii colunt. Optimatibus satis est, si poetas amicitia sua foveant. At historiam ipsi aggrediuntur, annales conscribunt, quibus et gentis suæ et patriæ famam augeant. Leges et juris scientiam discunt, quo melius suas et amicorum res tueantur. Jurisprudentiam Scævola, quasi hæreditarium quoddam munus, omnes assequuntur, nec paucos circa se juvenes, eidem studio deditos, habent.

Eloquentiæ autem præcipuam operam impendunt. Quum enim et in senatu, et apud populum, omnia consulendo decernerentur, si quis dicendi facultate innotuerat, maxima ei proposita erant præmia, et facilis erat decursus honorum. Quum præterea nullum esset discrimen inter domi militiæque magistratus, non pacis solum gloria, nempe auctoritas et magnæ clientelæ, sed bellicæ etiam laudes, imperia, triumphus, clarissimo cuique oratori patebant. In hanc igitur viam certatim se omnes immiserunt. Maxima exorta est inter nobiles adolescentes æmulationis. Ubi primum adoleverant, mos erat ut in foro frequentes adessent, magnorumque civium comitatu se addicerent. Erant etiam qui, clarissimas causas agendo, famam sibi ab juventute comparare conarentur. Quicumque forensem lucem vitare et domi se continere videbantur, in suspicionem incidebant tardioris ingenii, aut saltem timidioris animi¹. Eorum etiam ardor crevit, postquam, anno U. C. MCV, quæstiones perpetuæ creati cæptæ sunt. Ex hoc enim tempore, major fuit judiciorum numerus, et major patronorum auctoritas.

Nunquam sane apud Romanos defuerant oratores. Quis credat enim infantes fuisse tot tribunos, qui patriciorum impotentiam fregerunt, tot consules, qui tribunorum auda-

1. Pol. xxxii, 10.

ciæ obstiterunt? Deerat tamen eis ars eloquendi, quam Græci mirum in modum exercuerant. Hanc Romani adulescentes a græcis rhetoribus accipere properant. Brevi fit unctior quædam splendidiorque consuetudo loquendi¹. Veri exurgunt oratores, Cato Major, quem Cicero declarat attico Lysiæ nec numero orationum, nec dicendi facultate, imparem fuisse; Scipio Æmilianus, C. Lælius, M. Porcina, Serv. Galba, C. Carbo, Tib. et C. Gracchi. Nec solum in senatu, in foro aut in concione verba faciunt, sed etiam, quod eos litterarum gloriam non contempsisse ostendit, multi sunt qui orationes, proferendi ad posteros nominis causa scribant.

Secunda quam memoravimus ætate, multo major quam antea fit in urbe Græculorum numerus. Eo plures Romam se conferunt, quod, subacta Græcia, eversis Macedoniae et Pergami regibus, labantibus ceteris Asiae regnis, omnibus plane apparet rerum omnium regimen et arbitrium in Romanorum potestatem cecidisse. In hanc igitur Romanam urbem conveniunt quicumque apud græcanicos reges famam et opes antea sectari consueverant. Hac præsertim ætate grammatici apparent, quorum opera optimates in educandis liberis utuntur, donec eos libertate donent. Plerique eorum e Græcia aut græcanicis regionibus oriundi sunt, quales Antonius Gniphos, Pomponius Andronicus et multi alii². Hos Romani tam studiose sibi comparant, ut grammaticum Daphnim M. Scaurus H.-S. dcc emeritis³. Adolescentes, ubi latinam et græcam linguam a grammaticis didicerant, rhetoribus et philosophis aurem præbebant. Quemadmodum prioris ætatis juvenus Cratem et Carneadem audiverat, sic hujus ætatis juvenes Philonem academicum et Molonem rhetorem audierunt, quum alter Romam petiisset, ut impotentem Aristionis dominationem effugeret, alter legatus a Rhodiis ad senatum missus esset.

1. Cic. Brut., 20. — 2. Suet. Gramm. — 3. Pl. M. vii, 40.

Jam Romani adeo græcis artibus imbuti erant, ut vel latini rhetores exsurgerent. Sed eos L. Crassus et Domitius Ahenobarbus censores scholas aperire vetuerunt. Quanquam juvenes ne domesticis quidem magistris contenti erant. Multi Asiam et Græciam invisere cœperunt, ut Athenis philosophiam, Rhodi et in Asia eloquentiam discerent. Hoc Ciceronis et Cæsaris exemplo præsertim manifestum est. Sed quam ipsi viam ingressi sunt, multi jam antea tentaverant, et omnes postea secuti sunt.

Hactenus de adolescentibus tantum locuti sumus. Si viros spectaveris, vix unum aut alterum invenias græcarum litterarum rudes, nempe C. Titium et C. Scribonianum Curionem, quorum inscitiam Cicero notavit¹. Vel Marius, qui se rudem et ignarum coram populo proficitur, doctis viris favet, et Archiæ poetæ carminibus gaudet. Omnia prioris ætatis semina quasi maturitatem assequuntur. Tabulas et statuas Romani optimates undique captant. Non mediocrem sibi populi favorem M. Scaurus comparavit, quum, ædilitate sua, ædificato in tempus teatro, tria statuarum millia in scena erexisset². Non modo græci rhetores et philosophi, sed etiam pictores et sculptores Romam migrare assuescunt. Horum e numero præsertim eminent Lala Cyzicena, quæ Romæ et Neapoli mulierum maxime imagines pingit³, et Pasiteles sculptor, e Magna Græcia oriundus, et in civitatem romanam cum suo municipio adscitus⁴.

Ut omnibus simul Græcorum artibus optimates favent, sic easdem quas priore ætate ipsi colunt, nempe historiam et eloquentiam. Inter annalium scriptores apparent L. Cælius Antipater, Q. Claudius Quadrigarius, Q. Valerius Antias, Sempronius Asellio, Licinius Macer, Cornelius Sisenna, Rutilius Rufus. Quid in hac arte profecerint ex hoc manifestum est quod eis non jam satis esse videtur, si res gestas nude et vere narraverint. Sed ea quæ

1. Cic. Brut., 45. — 2. Pl. M. xxxiv, 17. — 3. Pl. M. xxxvi, 2. — 4. Pl. M. xxxvi, 4.

memorant artifice stylo ornare, et cum Græcis certare conantur. Sunt etiam qui de rebus suis commentarios scribant, alii græce, alii latine, M. Æmilius Scaurus, Q. Lutatius Catulus, L. Cornelius Sylla.

Sed in eloquentia præsertim eminenti romani optimates, quod genus a Græcis assumptum in Romanam artem mutatum est. Quam ut dicendi laudem assequerentur, ipse civitatis status non parvi momenti erat. Jam enim antiquæ leges labare cœperant, jam reipublicæ maxima pericula, non tam ab externis hostibus, quam ab intestinis factionibus imminebant. Quæ quidem ea erant ut tali spectaculo oratorum mentes necessario accenderentur. Priore ætate, eloquentia præsertim duo Gracchi eminuerant, et summum erant adepti populi favorem. Haud alio nunc pacto M. Antonius et L. Crassus omnes ætate sua sibi comparant honores. Hi, quo majorem orationibus suis auctoritatem conciliarent, hac arte utebantur, ut alter Græcorum artes ignorare, alter non tam nescire videretur, quam parvi pendere, et in omni genere Romanorum sapientiam præponere¹. At reipsa, Græcorum doctrinam neuter ignorabat, neuter contemnebat. Uterque Athenis erat commoratus et doctissimos ibi magistros studiose audierat. Quamvis nullam orationem scripserit Antonius, patet eum peritissimum fuisse patronum. Hanc in C. Norbani et M. Aquilii causis artem exprompsit, quam pauci æquare, nemo superare posset. L. Crassus, quum Carbonem accusando, famam sibi adolescens comparavisset, tantam assecutus est gloriam, ut ante Ciceronis ætatem, Romanorum oratorum princeps haberetur. Qui qualis fuerit judicari potest e vehementi ejus et admirabili in Philippum consulem oratione.

Eum sibi apud Romanos locum eloquentia pepererat, ut oratores essent, qui, quum ipsi nunquam loquerentur, pro ceteris tamen orationes scriberent². Ne ceteræ quidem

1. Cic. de Orat. II, 1. — 2. Cic. Brut., 56.

Italiæ urbes a litterarum cultu alienæ manebant. Apud Italici nominis socios erant græcis et latinis litteris eruditj oratores¹. Horum e numero Q. Valerius Soranus philosophiam ipsam non leviter attigerat². Artes ut Romam Græci intulerant, sic in imperii sui municipia Romani inferebant. Quamquam Romanorum urbanitatem Latini aut Itali assequi non poterant. Quamvis latine scirent, deerat eis pronuntiandi venustas quædam, quæ Romæ tantum vigeat. Quæ quidem ut floreret non inutilis fuerat nobilium matronarum opera. Erant enim quæ quasi dotalem loquendi elegantiam et pronuntiandi venustatem a parentibus accepissent³.

Ad tertiam nunc quam memoravimus ætatem advenimus. Jam et Romani et Græci opus suum peregerunt. A Romanis Græcia, Macedonia, Asia subactæ sunt. Mox corrueat, everso Mithridate, Ponti regnum; Bithyniæ Cappadociæ, Ægypto nihil nisi umbra superest libertatis. Romanorum sunt omnes græcanicæ regiones, omnia ab Alexandri legatis condita regna. Sed quas in Oriente provincias Romani imperio suo addiderunt, in eis Græci artes et linguam suam propagaverunt, ut a Græcis domitæ prius fuisse videantur, quam Romanorum leges acciperent. In quaque Orientis urbe philosophi ac rhetores exsurgunt: Alexandriæ Areus, Tyri Antiochus, Antiochiæ Archias, Amisi Tyrannio, Apameæ Posidonius, Tarsi duo Athenodori, Prusæ Asclepiades. His omnibus Roma quasi quædam altera patria est. Omnes in hanc urbem se conferunt; omnes in ea aut perpetuo, aut peregre habitant: e philosophis, Antipater, Antiochus, Posidonius, Cratippus, Apollodorus, Patron, Phædrus, Zeno, Philodemus, Parthenius; e cœlestium rerum exploratoribus, Geminus Polycletus, Zenodotus, Theodotus; e geographis, Asclepiades Myrlæus, Tyrannio; e rhetoribus, Theophanes, Apollodorus, Strato, Pammenes, Alexander Polyhistor;

1. Cic. Brut., 46. — 2. Plut. Pomp. — 3. Cic. Brut., 58.

e sculptoribus Anteus, Callistratus, Cleon, Callicles, Dæmocrates; e pictoribus, Nicias, Philochares et Timomachus.

E Græcorum turba clarissimos tantum nominavimus, unde appareat Romam eis omnino apertam fuisse. Romanorum optimatum paucos reperire est, quos non aliqua Græcorum cohors comitetur. E Pompeii lateribus raro discedit Theophanes; Brutus duos rhetores semper contubernales habuit: Stratonem et Empylum. Circa Ciceronem apparet Diodotus Stoicus, qui in domo ejus consenuit, suaque ei bona testamento tradidit; circa M. Crassum Alexander Polyhistor; circa Cæsarem Theopompus Cnidius, et ejus filius Artemidorus; circa M. Pisonem, Staseas Neapolitanus; circa Catonem, Athenodorus, Apollonides et Demetrius; circa L. Pisonem, Philodemus Gadarensis. Quid plura? Romanos omnes sicut umbra sequuntur; patronos suos sermonibus delectant, consiliis adjuvant; res ab eis gestas libris suis narrant et augere conantur. Quicumque ex eis ingenio aut scientia supra ceteros eminere videtur, optimi cujusque fruitur amicitia, jus civitatis obtinet, et interdum etiam rem suam familiarem auget.

Hinc intelligitur Romanos optimates hac ultima ætate Græcis artibus omnino imbutos fuisse. Pictis tabulis, signis, vestibus, cæato oro et argento domos suas certatim ornant. Nec ii sunt qui rigidiora Canachi aut Myronis signa perfectissimis Polycleti operibus præponant, aut qui ignorent longe præstantiores esse Nicomachi et Protogenis tabulas quam Polygnoti, et eorum qui quatuor tantum coloribus usi erant¹. Posidonii spheram mirantur, nec a dignitate sua alienum credunt, si varios siderum motus intelligant, et varias philosophorum de rerum natura rationes approbent. Sunt etiam inter eos qui, omnia rerum publicarum cura, poesim, græcorum more, unice

¹ Cic. Brut. 18.

colant, quales Catullus et Lucretius. Quid in scribenda historia Romani profecerint, quam facile Græcorum artem assecuti sint, e Sallustii libris et Cæsaris commentariis manifestum est.

Philosophiam qui impugnent reperire est. Pauci supersunt, quibus totum hoc displiceat, philosophari; alii, qui rem ipsam non ita improbent, modo remissius agatur. Multi ista studia principibus nequaquam convenire declarant. At plerique optimatum tales querimonias negligunt. Philosophiæ omnes student, alii ut e philosophorum præceptis bene vivendi leges eliciant, alii quo ampliorem ex eorum disputationibus eloquentiam adipiscantur. E clarissimis hujus ætatis viris unus forsitan Q. Hortensius philosophiam omnino neglexit. Ceteri omnes huic arti maximam dedisse operam videntur. Lucullus ipse, quum Syllæ classi præpositus esset, Alexandriæ philosophorum scholis aderat, Antiochi disputationibus fruebatur. Cato Uticensis, quum in Macedonia esset, in Asiam profectus est ut philosophum Athenodorum sibi addiceret.

Quum ea ætate præcipuæ essent apud Græcos Stoicorum et Epicureorum disciplinæ, has etiam Romanorum optimatum plerique amplexi sunt. Epicureos Cicero acerrime impugnavit. Indigne ferebat eos a rebus gerendis et administranda republica juventutem amovere. Quum Rabinii et Amafinii libros, qui primi hanc doctrinam latinis litteris exposuerant, in multorum manibus esse videret, ipse de philosophia scribere instituit. Nec mediocrem inde fructum percepit. Multorum enim, qui tantas res latine illustrari posse diffidebant, ardorem excitavit, ut idem opus aggredierentur. Nec tamen pervicit ut omnibus placeret aut Epicureos a sua secta avocaret. Majore enim studio suam doctrinam amplexi erant, majore cultu et admiratione Epicurum prosequerentur, quam ut adversariorum rationi facile assentirentur. Præterea, is erat

1. Cic. Acad. II, 2.

reipublicæ status, ut multi de legibus et libertate desponderent animum, multi quietem potius quam pericula et ærumnas sectarentur.

Ceterum, etsi omnes fere philosophiam didicerant, et ad ejus sectæ, quam amplexi erant, præcepta vitam accommodabant, Romani nunquam in veros philosophos mutati sunt. Nihil novi invenerunt, nihil Græcorum rationibus addiderunt. Hoc eis satis erat, si magistrorum suorum doctrinam probe intelligerent, vitæque et moribus approbarent. Nihil esse poterat eis philosophia, nisi nobile quoddam oblectamentum, quo doctissimus quisque, delectandi otii causa, libenter uteretur. Eloquentiam præsertim sibi utilem ac prope necessariam intelligebant. Hac enim una arte, quicumque aut ingenio, aut amore patriæ pollebant, honores, famam et auctoritatem facillime assequabantur.

Vix credat quispiam quanto ardore Romani adolescentes studiis incumberent, omnemque et romanarum et externarum rerum memoriam cognoscerent, poetas evolverent, carmina et orationes memoriter discerent¹. Omnibus inexhausta erat legendi aviditas, quæ tanta apud Catonem erat, ut satiari vix posset, et ne reprehensionem quidem vulgi inanem reformidans, in ipsa curia soleret legere, dum senatus cogeretur². Juvenes, ubi aliquam dicendi facultatem assecuti erant, perpetuo labore et assidua exercitatione augere conabantur. Duo et viginti annos natus Cicero commentabatur declamitans sæpe cum M. Pisone aut cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie, idque faciebat multum latine, sed græcè sæpius, quo facilius a græcis doctoribus corrigi posset et doceri³. Usque ad præturam declamavit græcè. Consulibus Hirtio et Pansa, quum jam LXII annos natus esset, latine etiam declamabat. Cn. Pompeium quidam historici tradiderunt, sub ipsum civile bellum, quo facilius Curioni, causam

1. Cic. de Fin., 1, 7. — 2. Cic. de Fin., III, 2. — 3. Cic. Brut., 99.

Cæsaris defendenti, responderet, repetiisse declamandi consuetudinem; M. Antonium et Octavium ne mutinensi quidem bello omisisse.

Quanquam adolescentes Græcorum disciplinæ et exercitationibus Romanas etiam artes addebant. Græcorum enim præcepta, ut Cicero in suis libris declarat, etsi optima videbantur, non ea erant, quæ omnibus numeris absolutum oratorem efficerent. His addenda erat juris prudentia, quam Romani semper mirum in modum coluerant; cœlestium rerum scientia, qua major et excelsior fiebat oratio, romanarum externarumque rerum memoria, quæ multa oratoribus supeditabat exempla. Quæ quidem omnia postquam juvenes assecuti erant, variis etiam et vere Romanis exercitationibus confirmabant. Antea enim memoravimus hunc morem fuisse ut adolescentes clari alicujus civis cohorti se addicerent. Hunc domi militiæque, in foro et in provinciis sequebantur. Hujus exemplo, sermone, præceptis, facultatem ipsi suam augebant. Quemadmodum circa Mucium Scævolum Cicero adoleverat, sic circa Ciceronem primo floruerunt Curio, Sulpicius, Cælius, Trebatius. Hinc, ubi adolescentes magistratus petere poterant, quæsturam primo impetrabant. Quam quum septimo et vicesimo ætatis anno exercerent, provincias invisebant et administrabant, prætoribus aderant; quid socii, quid exercitus poscerent intelligebant. Quid plura? Maturitatem quamdam assequebantur: quod a magistris didicerant, rerum ipsarum testimonio quasi emendabant.

Hos inter juvenes maxima erat æmulatio. Etsi enim nobilitas majorum suorum commendatione apud populum utebatur, tantus erat nobilium gentium numerus, ut ii tantum honores sperare possent, qui majorum meritis propria etiam merita, propriamque facultatem quamdam addere viderentur. Quum præterea homines novi exsur-

gerent, summa nobilibus erat cura nomen suum illustrandi. Ubi quis facundia innotuerat, tanta erat omnium in hunc unum exspectatio, ut vix in studiis quidquam remittere auderet, ne a semetipso quasi degeneraret. His e Romanorum moribus tanta oratorum copia exorta est, quantam vix quisquam a Syllæ morte ad actiacam pugnam exstitisse credat. Etsi enim omnes primo C. Cotta et Q. Hortensius superaverunt, quos supra Cicero brevi eminuit, multi alii eodem tempore simul floruerunt. Nemo fere e Romanis optimatibus inveniri potest, hac ætate, qui eloquentiam neglexerit. Huic arti omnes operam impendebant, quo facilius honores assequerentur. Clarissimi cujusque oratoris vita in duas quasi ætates divisa erat, quarum prior ambitionis labore distringebatur. Erant enim defendendi amici, lacessendi inimici, petendi exercendique honores. Inde, postquam magnam sibi famam comparaverant, postquam consulatum erant adepti, auctoritate sua et otio frui poterant. Hunc autem ut longi laboris fructum perciperent paucis contigit.

Jam enim res romanæ eo devectæ erant, ut libertas vix stare posset. Quæ causa in eloquentiæ incrementum et ad augendam apud Romanos dicendi facultatem multum contulerat, eadem effecit etiam ut eloquentiæ vix locus in civitate superesset. Eadem honorum aviditate qua adolescentes oratoriam artem assecuti erant, mox ubi potentiora esse civilia arma quam patriæ leges viderunt, seditiones fovere inceperunt. Ipsi, quos in domo sua Cicero quasi aluerat et ingenii sui lumine accenderat, Curio, Cælius, Sulpicius, Cæsar's partes amplexi sunt. Libertas, quæ Cæsar's dictaturâ corruerat, post actiacam pugnam omnino occubuit. Nec tamen ideo perierunt artes, quas Romam Græci intulerant. Imo, regnante Augusto, novos, et, ut ita dicam, magis græcanicos fructus ediderunt. Quos enim antea protulerant, ii quasi patricii erant, quos optimatium tantum cultus et labor procreare poterat. Exstincta libertate, non jam optimates, sed omnes fere litteris

operam impendunt. Poesim, quam patricii, quum libera civitas esset, vix attigerant, Romani summo ardore aggre- diuntur; historiam repetunt, ut in hoc genere Græcos assequantur. Nec tamen præteritos mores ita mutant ut scientias colant, quod quasi proprium ac peculiare Græcorum manet patrimonium.

Ut rhetores, philosophos et artifices, sic græcos etiam poetas Romani summa benevolentia in Urbem excipiebant. Sed quum hanc a rhetoribus, grammaticis et philosophis perciperent utilitatem, ut eorum opera dicendi artem penitus assequerentur, nihil a poetis præter laudes expectare poterant. Gaudebant si quis Græculus ipsorum consulatus, bella et triumphos versibus illustraverat. Sed nullum poetam in honorem Romanorum Græcia edidit, qui patronorum suorum gesta ingenii splendore æquaret. Plerique eorum qui Romam artem suam transtulerunt, nihil aliud erant nisi verborum opifices. Is erat Antipater ille Sidonius, qui versus hexametros aliosque variis modis atque numeris ex tempore fundere solitus erat. Hoc multo labore et longa exercitatione erat assecutus, ut quum se mente ac cogitatione conjiceret in versum, verba sequerentur¹. Haud multum Antipatro dissimilem fuisse Archiam crediderim. Quantum ex epigrammatibus, quæ nomine ejus in Anthologia supersunt, judicare fas est, facillime versus componebat, sed qui numero tantum verborum versus essent. Inter omnia ejus carmina, duo sunt quæ Iliada et Odysseam ejus libenter vocaverim, unum de Bacchi, alterum de Apollinis laudibus². Horum utrumque xxv versibus constat. Omnes deinceps versus ab una e Græci sermonis litteris incipiunt, omniaque cujusque versus verba ab eadem littera ordiuntur, ut primæ omnium deinceps versuum et omnium cujusque versus verborum, omnes Græci sermonis litteras, totumque litterarum ordinem perficiant. Hinc facile intelligi potest

1. Cic. de Orat. II. 50. — 2. Anthol. II, 38, 11.

quam lepida, quam festiva hujus modi carmina videantur. Nihil unquam Homerus aut Sophocles hujus modi tentarunt: sed ne ii quidem erant, qui de tantis ineptiis cogitarent.

Archias tanta facundia præditus erat, ut, quum litteram conscripsisset nullam, magnam versuum copiam de his ipsis rebus, quæ tum agerentur, ex tempore diceret, revocatusque eandem rem repeteret, commutatis verbis atque sententiis¹. Quum præterea in C. Marii et L. Luculli laudem longa carmina conscripsisset, facile sibi apud Romanos clarissimi cujusque amicitiam comparavit. Quos sibi pepererat amicos retinuit. Cum Lucullo in Siciliam ac postea in Asiam profectus est. Anno U. C. DCXCVIII in jus vocatus est lege Papia, quasi romanam civitatem fraude sibi irrogavisset. Causam ejus M. Cicero coram Quinto fratre prætore oravit, et facile vicit.

Quo tempore Græci medici Romam penetrare cœperunt, non mediocrem eo scientiam secum inferebant. Medicina enim ab Hippocrate, quinto ante J.-C. seculo, creata, maxima a summis viris Aristotele, Erasistrato et Herophilo, incrementa acceperat. Hi, quodcumque naturam observando invenerat Hippocrates, novis studiis aut confirmaverunt, aut emendaverunt. Ad id se præsertim addixere, ut varias corporis partes penitus cognoscerent. Aristoteles, quo facilius membri cujusque structuram scrutaretur, equos et boves aperuit. Herophilus et Erasistratus, quorum studiis Ptolemæi Soteris amicitia favebat, vivos etiam homines, e carcere acceptos, incidisse memorantur². Nec parvum ex his studiis fructum perceperunt, ut qui nervorum et numerum, et varias in movendo corpore partes, et originem exploraverint.

Jam ab initio tertii ante J.-C. seculi certam Græci de medendi arte doctrinam et rationem constituerant. Erant

1. Cic. pro Archia. — 2. Cels. Præfat.

certa quædam artis fundamenta, quibus omnes dogmatici assentirentur : nempe duas esse omnino morborum causas : alias generales, videlicet anni tempora, cœli aut aquarum et locorum naturam; alias unicuique homini peculiares, videlicet ciborum genus, mores et vivendi consuetudinem. Hinc accidere ut per corpus humores aut acerbi, aut crudi, inæqualiter mixti manarent. Quum autem morbi ex humorum aut natura, aut nimia abundantia orirentur, hanc esse medici artem, ut humores malignos coqueret ac temperaret, abundantiores egereret. Hanc ipsam medendi rationem quodcumque Græci de interiore corporis structura noverant, confirmare videbatur. Omnino intellexerant quantum esset in corporea vita respirationis et digestionis momentum : nec fefellerat eos omnes corporis partes inter se cohærere, et quasi in unum conspirare. Harum partium tria esse genera animadverterant : alias enim cibos et aera accipere et concoquere, mutatosque in sanguinem, per omnia membra distribuere : hoc enim esse pulmonis, stomachi et cordis officium ; alias corporis partes ad coquendum opem præstare, quum ex alimentis humores eliciant, qui, ut in sanguinem mutari nequeant, sic ad conficiendum sanguinem prosint; cerebro enim phlegma, jecore flavam bilem, liene atram bilem, renibus urinam ex alimentis extrahi. Alias partes esse ad ea egerenda constitutas, quæ ad alendum corpus minime apta sint. Hanc autem esse credebant partis cujusque naturam, ut sibi necessaria attraheret et retineret, contraria amoveret. Tunc demum bonam esse valitudinem, quum omnes et corporis partes et humores apte inter se congruerent : corpus in morbos incidere, si humores aut corrumpi, aut inæqualiter misceri et abundare cœperint¹.

Hanc dogmaticorum rationem empiricorum secta acerrime impugnabat : tempus perdere dogmaticos, qui morborum causas quærerent ; id enim satis esse, si quis

1. Gal. de Facult. nat. 1, 14 sq.

morbos ipsos cognosceret. Ne agricolam quidem aut gubernatorem disputatione, sed usu fieri, neque aliam esse sanandi homines viam, quam si quis experimento morbi cujusque naturam potius quam causam intelligat, quia non intersit quid morbum faciat, sed quid tollat, neque quo modo, sed quid optime digeratur. Ne mortuorum quidem lacerationem esse necessariam : quæ, etsi non crudelis, tamen fœda sit; quum aliter pleraque in mortuis se habeant; quantum vero in mortuis cognosci possit ipsa curatio ostendat¹. Hæc empiricorum argumenta, ut veritatis partem, sic multos errores continere confitendum est. Haud quod vitiis carerent dogmatici : sæpius enim accidebat ut, quodcumque doctrinæ suæ obstaret, negligenter. Erat tamen eis invictus omnia investigandi et explorandi ardor, quo ceteras omnes sectas superabant.

Multæ erant in Græcia et in Oriente medicorum scholæ. Quæ Hippocratis tempore Cnidi et Coi floruerant, nunquam erant intermissæ. Quam Alexandria Ptolemæus Soter condidit, ea supra ceteras omnes eminuit. Aliam brevi scholam Herophili sectatores Laodiceæ, aliam Erasistrati sectatores Ephesi condidere². Vix credat quispiam quantus fuerit in his scholis studiorum ardor. Medici non minora quam rhetores aut philosophi scripta ediderunt³. Ubi quis aut commentarius aut liber novus in lucem editus erat, is protinus per omnes græcicas urbes circumferebatur. Iisdem moribus medici erant quibus philosophi. Erant multi qui vel longe remotas urbes peragrarent, ut de arte sua dissererent. Omnibus inerat inexhausta quædam facundia, ut dicendi facultate vel cum rhetoribus certare possent. Ubi Romam advenerant, scholas habebant, quibus rationem suam expromerent, et adversarios impugnarent. Plerique, ubi inter eos controversia orta erat, argumentis potius quam experimento certabant.

1. Cels. Præfat. — 2. Strab., XII, 8. — 3. Gal. ed Basil., v. p. 435.

Pauci, quum de corporis humani partibus disputarent, corpus humanum sibi consulendum esse intelligebant¹.

Cassius Hemina, unus e vetustissimis historiarum scriptoribus, auctor erat primum e Græcis medicis Romam venisse e Peloponneso Archagathum, Lysaniæ filium, anno U. C. dxxxv, eique jus Quiritum datum, et ob id emptam publice in compito Acilio tabernam; vulnerarium eum fuisse e re dictum, mireque gratum adventum ejus initio; mox a sævitia urendi secandique, transiisse nomen in carnificem, et in tædium artem omnesque medicos². Romanorum plerique græcis medicis diffidebant. Cato eis acerrime obstitit. Nullum unquam senatus de expellendis Græcis decretum tulit, quin medicos peculiariter exciperet.

Inde evenit ut multo major esset circumforaneorum medicorum numerus, qualis fuit ille P. Clodius, quem Cicero tam rapide Dineam, Oppianici matrem, veneno sustulisse memorat⁴. Erat præterea magna circulatorum et magorum copia, qui æthiopidis herbæ conjectu amnes et stagna siccari, tactu omnia clausa aperiri narrarent; achæmenide herba conjecta in aciem, trepidare hostes ac terga vertere; latacen a Persarum rege legatis dari solitam, ut, quocumque venissent, omnium rerum copia abundarent⁵.

Medicinæ Græcorum tandem apud Romanos fidem fecit Asclepiades, et medicorum artem approbavit prius prope quam ipse cognovisset. Rhetoricæ primum operam dederat. Quum vero, etsi summorum virorum, Licinii Crassi, M. Antonii, mox etiam Pompeii, Ciceronis et Luculli amicitia fruebatur, inopia laboraret, medicinam aggressus, medicorum eloquentissimusevasit⁶. Quo tempore rhetoricæ valedixit, nihil de medendi arte, præter Epicuri physica noverat, sed eam a natura facundiam sortitus erat, cui nihil obstaret. Medicorum libros simul evolvere et rationes refellere cæpit. Scholas habuit, quibus et audacia et elo-

1. Gal. de Fac. nat. 1, 14. — 2. Pl. M., xxix, 6. — 3. Pl. M., xxix, 8.
— 4. Cic. pro Cluent. 10. — 5. Pl. M., xxvi, 9. — 6. Pl. M., xxvi, 9.

quentia auditores ita sibi conciliabat, ut doctissimus videretur ¹. Anatomiam et anatomicorum scientiam, quales fuerant Erasistratus et Herophilus, irridebat. De Hippocrate non nisi contemptim loquebatur. Quum dogmatici profiterentur hanc esse variarum corporis partium naturam, ut in certum quemdem finem creatæ essent, et certo officio fungerentur, hanc eorum rationem Asclepiades impugnavit: neque enim numinis opus esse humana corpora, sed omnia e fortuito principiorum concursu oriri; errare eos qui in certum finem creatas esse aut certo officio fungi corporis partes credant; quum solidiores in membro nervi appareant, non ideo validiores esse nervos quod in majores creati sint nisus, sed ideo majores fieri quod magis exercentur: initio vivendi, eandem esse nervorum omnium vim, sed alios exercitatione augeri, alios inertia minui ². Errare Hippocratem et ceteros, qui credant hanc esse renum naturam, ut urinam ex alimentis eliciant, hanc jecoris naturam ut bilem eliciat: neque enim jecore bilem ex alimentis extrahi, sed creari, neque renibus urinam secerni, sed gigni ³. Quod attinet ad digestionem, nutritionem et sanguinis concretionem, ea esse dogmaticorum somnia, quæ nemo satis irridere possit ⁴.

Asclepiades medendi artem invenit quæ cum ista de corporis partibus doctrina congrueret. Hæc tamen ejus de sanandis morbis rationi virtus inerat, quod ægris nullo modo nocere poterat. Quum enim medici, quo facilius e corpore malignos humores egererent, nunc alvi purgatione ac vomificis medicamentis abuterentur ⁵, nunc ægros vestibus obruerent, sudorem ciendi causa ⁶, Asclepiades professus est omnia remedia non solum mali succi esse, et stomachum lædere, sed ne ad sanandos quidem morbos apta esse. Scilicet, si quis nimia bilis abundantia laborat, tu eum, bilis egerendæ causa, purgativum medicamentum

1. Pl. M. xxvi, 7. — 2. Gal. de Utilit. part. 1, 21. — 3. Gal. de Fac. nat. 1, 16. — 4. Gal. de Fac. nat. v. 5. — 5. Cels. Præfat. — 6. Pl. M. xxvi, 9.

bibere jubes; si quem hydropicum invenis, hydragogis remediis uteris, quasi vero ea remedia sint quæ malignos humores egerant! Imo vero, ipsis remediis humores generantur. Omnia igitur medicamina, omnes potus damnavit, ut stomacho inimica. Præterea in quibusdam morbis medendi cruciatus detraxit, ut in anginis, quas curabant organo in fauces demisso¹. Quid plura? Totam medicinam in causam revocando, plerosque omnia mutare instituta antiqua coegit, et ad ipsius victus rationem omnem curam transferre². Ipse quinque res maxime communium auxiliorum esse profitebatur: abstinentiam cibi, alias vini, corporis fricationem, gestationem, ambulationem, quas unusquisque sibimet facile præstare posset³. De his omnibus libros composuit, quibus et adversarios refellebat, et suam ipse rationem expromebat.

Qua præditus erat facundia, tanta Romanos admiratione perculit, ut quasi quidam deus e cælo emissus haberetur. Adde quod mirabili quodam artificio ægrorum mentes alliciebat, quum tempestive vinum aut promitteret, aut daret. Suspensos etiam lectulos excogitavit, quorum jactatu aut morbos extenuaret, aut somnos adduceret; balneas præscripsit, quarum Romani erant avidissimi⁴.

Ne quid Asclepiadis famæ deesset, contigit ei ut sopore oppressum, et tantum non funebri rogo impositum hominem, tacto venarum pulsu, etiamnum vivere intelligeret, mortique eriperet; et acceptis a Mithridate litteris, quæ eum in regis aulam vocarent, Hippocratem imitaretur, Romaque se excessurum negaret. Ex hac die nobilem in urbe locum medici occupavere, et tanquam civitatem adepti sunt. Ipse Asclepiades usu in vere doctum medicum mutatus erat. Tantam sibi ac rationi suæ fidem adhibebat, ut sponsionem quamdam cum fortuna fecerit, ne medicus crederetur, si invalidus unquam esset. Nec defuit ei casus, cujus tantas in rebus humanis esse partes pro-

1. Pl. M. xxvi, 9. — 2. Cels. Præf. libr. v. — 3. Pl. M. xxvi, 7. — 4. Pl. M. xxvi, 8.

fitebatur. Quum enim corpore sano ad extremum mansisset, *scalarum lapsu in extrema senectute exanimatus est*¹.

Asclepiadis exemplo Græci medici intellexerunt quibus artibus Romæ florere possent. Romani erant homines actiuosi, qui non doctrina, sed usu delectarentur. Multi eis certatim novas rationes obtulerunt bonam valitudinem aut recuperandi, aut retinendi. Antonius Musa brevi famam non minorem adeptus est quam antea Asclepiades. Quum Cæsarem Augustum gravissimo jecoris morbo laborantem sanavisset, clarissimus factus est². Medendi rationem excogitavit, quæ lavando morbos præpediret. Hic lavandi ardor omnes invasit, ut ne hieme quidem Tiberi aut mari in frigidam descendere desinerent. Ipse Horatius poeta Bañas invitus quidem, sed jubente medico, « per medium frigus » lavatum ibat.

Nulla jam urbs erat ubi medici majoribus quam Romæ commodis uterentur. Diu contempti plenam demum et perpetuam victoriam habebant. Eorum neque aviditas, ut qui mercedem prius paciscerentur quam morbos sanandos susciperent, neque controversiæ, nec doctrinarum mobilitas impedimento erant quominus apud ægros regnarent. Sæpe accidebat ut optimates, ubi in gravem morbum inciderant, multos simul medicos vocarent, qui raro inter se consentirent, quum nihil magis unusquisque metueret, quam ne alterius opinionem accipere videretur³.

Maximi erant medicorum apud Romanos honores. Hic principibus imputabat quod H.-S. quingenis annuis contentus esset : sexcena enim sibi fuisse, quum plebeiorum morbis operam daret. Ille, quum magnam fortunarum partem impendisset ut Neapolim urbem monumentis ornaret, H.-S. trigesies millies hæredibus tamen reliquit. Grinas Massiliensis, quum H.-S. decies millies in reparandis patriæ mœnibus et ædificiis impendisset, haud minorem hæredibus pecuniam tradidit. Charmis ab uno ægro,

1. Pl. M. vii, 37. — 2. Suet. Aug. 81. — 3. Pl. M. xxvi, 5.

ob unum morbum, H.-S. ducenta exegit¹. Quum tam uberes quæstus ex arte sua perciperent, ne Romani quidem medicina abstinuerunt. At plerique eorum, si quid scribere tentabant, græca lingua utebantur; neque enim alio pacto sibi fidem fecissent. Nulla vel apud imperitos et litterarum rudes medicis auctoritas erat, nisi græce loquerentur². Adeo Romani græcorum medicorum, quibus primum diffusi erant, scientiam tandem agnoverant!

Huic tantæ Græculorum copię, qui in Romanam urbem sensim obrepebant, ignobile quoddam vulgus addendum est: aretalogos, quos in convivia exhilaranda optimates vocabant; divinos, qui fallacem circum, ut ait Horatius, invadebant; mathematicos, qui, cognita cujusque genitura, futuram sortem se prævidere profitebantur. Hos vel præstantissimi cives, Pompeius, Crassus et Cæsar excolebant³. Erat præterea magnus græcorum mercatorum numerus, qui vel Puteolos, negotiandi causa convenirent, vel Romæ inhabitarent⁴; qualis fuit Apollonius iste, qui anno U. C. DCXCVII, equites romanos imitari ausus est, et, Græcus homo, rem suam conturbare et decoquere sibi licere putavit⁵. Hujus generis Græculi vix securum Romæ domicilium habebant. E magistratuum arbitrio pendebant. Anno U. C. DCLXXXVIII, lege Papia ex Urbe pulsati sunt. Sed legibus validior erat eorum audacia. Ii erant qui, semel ejecti, sequentibus annis redirent.

Ceterum, ut Græculos omnes ex Italiæ finibus Romani ejecissent, aliud erat hominum genus, nempe servorum, quod ipsi in Urbem perpetuo inducebant. Maximæ erant, præsertim primo ante J.-C. seculo familiæ, et ex omni servorum genere constabant. Erant in ditissimi cujusque familia architecti, philosophi, rhetores, medici ac grammatici. Hos e Græcia aut græcanicis civitatibus in Urbem mangones importabant. Si quos ex aliis regionibus invexerant, eos saltem græcis litteris informabant, quo pluris

1. Pl. M. xxvi, 3. — 2. Pl. M. xxix, 8. — 3. Cic. de Div. 11, 47.
— 4. Cic. in Vatin. 10. — 5. Cic. ad Attic. iv, 7.

venirent, ut vel Syri græce loquerentur. Jam ipse Cato Censorius doctissimum servum Chilonem domi habuerat¹. Mox vix unum inter Romanos optimates invenias qui lectore, quem anagnostem vocabant, careat. Est M. Mario Protogenes lector, Ciceroni Chrysippus. Est Chrysogono, Syllæ liberto, lectissima familia, quæ non solum coquis, pistoribus, lecticariis, sed variis etiam ad animi et aurium oblectationem artificibus constat². Sunt eodem modo in hac C. Malleoli familia, quam sibi Verres arrogavit, artifices et litterati³. Inter Attici servos maxime eminent Eutychedes, et quorum opera Tyrannio usus est in restituenda Ciceronis bibliotheca, Menophilus et Dionysius. Erant in M. Crassi familia architecti, medici, rhetores, grammatici, quos ipse, pacta mercede, civibus locabat. Hos ipse educandos summo studio curabat, quum servorum esse domini fortunas, domini servos regere dictitaret⁴.

Servorum conditio, ut ipsorum dominorum mores, varia erat. Quantæ interdum sævitæ litterati servi obnoxii essent uno exemplo ostendemus. Maximus ille orator Serv. Sulpitius Galba orandam apud consules publicanorum causam susceperat, quum illi, ob patratam in sylva Sila cædem, in iudicium vocati essent. Res adeo gravis erat, ut eam C. Lælius, quum prius verba fecisset, nec vincere potuisset, ipse Galbæ committendam censuisset⁵. Hanc Galba non nisi verecunde ac dubitanter recepit, ut cui Lælii tantæ auctoritati succedendum foret. Quum unum diem quasi comperendinatus esset, magnam alterius diei partem in consideranda causa componendaque absumpsit. Exclusis omnibus, in quadam testudine cum servis litteratis meditabatur, quorum aliis aliud eodem tempore dictare solitus erat. Tunc tandem exiit, quum ei nuntiatum est adesse consules, eumque vix non requiri. In iudicium ardens, fervido ore se contulit. Exierunt cum eo

1. Cic. de Orat., 11, 66. — 2. Cic. pro Rosc., 46. — 3. Cic. in Verr. 1, 36. — 4. Plut. Crass. — 5. Cic. Brut., 22.

servi male mulcati, quum in eos, quasi in animas viles, animi sui impetum effudisset.

Et servis omnibus, et præsertim litteratis peculium colligere licebat. Habebant etiam vicarios, quibus in exsequendis servilibus muniis uterentur. Hæc omnia tamen eis abripi poterant. Verres, quum pupilli sui C. Malleoli familiam restituere coactus esset, peculia ac vicarios sibi retinuit. Quum ceteros servos litterati vel ingenio, vel gratia apud dominum facile superarent, accidebat interdum ut fuga se in libertatem vindicarent. Aufugit anno U. C. dccviii Dionysius, Ciceronis servus, qui bibliothecam ejus multorum nummorum tractaverat¹. Quum multos libros subripisset, non se impune laturum putabat. Eum in Dalmatia, Naronæ, M. Bolanus ac multi alii agnoverunt. Respondit iis se manumissum esse. Res adeo verisimilis erat, ut ii eum neglexerint. Dionysium ut sibi restitueret Cicero P. Sulpitium, Cæsaris in Dalmatia legatum, oravit. Sed jam fugitivus procul evaserat.

Plerique tamen magnam sibi apud dominos auctoritatem comparabant, donec libertate digni viderentur. Quicumque manumissus erat, e servo in Romanum civem mutabatur. Ne a ceteris civibus discreparet, domini nomen ac prænomen usurpabat, sic tamen ut servili suo nomine tamquam cognomine uteretur. Sic manumissus Euty-chides, Tit. Pomponiani Cæcilii Attici servus, Tit. Cæcilius Euty-chides evasit; Dionysius, M. Pomponius Dionysius, quum eum patronus Marci prænomen assumere jussisset, in amicissimi sui M. Ciceronis honorem². Nec servi solum hunc morem observabant, sed, si quis liberæ conditionis civitate donatus erat, ejus nomen ac prænomen adoptabat, a quo civitatem acceperat. Sic Theophanes Mitylenæus Cn. Pompeii Theophanis nomen obtinuit; Archias poeta in C. Licinium Archiam mutatus est. Hoc erat quasi sigillum quo novos cives suos Roma notabat.

1. Cic. Ep. ad Div., XIII, 77. — 2. Cic. ad Attic., IV, 15.

Romani libertinis vel in educandis liberis suis, vel in administranda re familiari utebantur. Libertini enim dominis suis more, necessitate, nonnunquam etiam longa fide addicti manebant. Catoni minori ejusque fratri Cæpioni præceptor fuit Sarpedon, vir miræ fidei atque amoris, verbis potius quam verberibus pueros castigare solitus, et qui brevi magnam apud eos auctoritatem assecutus est¹. Libertinos etiam M. Antonius præceptores circa filios suos adhibuit, quorum unus Euphronius fidus ei post actiacam cladem mansit. Ceteri et M. Antonium et commissos sibi liberos prodiderunt. Theodorus, præceptor Antylli, puerum Cæsarianis tradidit. Cæsarioni, quem Cleopatra in Æthiopiam fugere jusserat, Rhodon suasit ut Alexandriam reverteretur, ubi Octavii jussu necatus est². Nec major fuit ceterorum libertorum erga Antonium fides. Plurimum apud eum valuerat Hipparchus, Theophili Corinthii filius. Theophilo etiam procuratori suo Antonius grandem pecuniam crediderat, unde amicis suis post actiacam cladem opitularetur. Theophilus creditam pecuniam sibi irrogavit. Hipparchus, ut conclamatas patroni sui res intellexit, ad Cæsarem transiit.

Rara tamen fuere apud libertinos hujus modi proditionum exempla. Quum enim servire desiissent, nec tamen omnino liberi viderentur, hoc eis supererat ut patroni sui rem fideliter amplecterentur. Hac arte multi magnam apud patronum auctoritatem, et, modo indulgentior patronus esset, inauditas insuper divitias interdum sibi pepererunt. Non minore gratia apud Pompeium Demetrius libertus quam Theophanes floruit, et certe majore arrogantia usus est. Servorum numero, cohortis suæ magnificentia patronum superabat. Ei anno U. C. DCLXXXVII Cato Uticensis occurrit, quum se Antiochiam, perlustrandæ urbis causa, contulisset. Aberat Pompeius. Catonem comitabantur quindecim servi, duo liberti, quatuor amici, qui

1. Plut. Cat. Min. — 2. Plut. M. Ant.

quidem modestissimus, ut tantæ nobilitatis viro, comitatus habebatur. Ipse pedes incedebat, equitantibus amicis. Ubi ad portam accessit, ingentem hominum concursum miratus est : ante portam candidatos viros ; juxta viam, hinc adolescentes adstare, illinc pueros. Quum abesset Pompeius, credidit Cato sibi, nihil talia curanti, hunc honorem tribui. Amicos igitur ab equis descendere, et una secum ire jussit. Ubi propius accesserunt, magister ejus pompæ coronatus, baculumque gestans, occurrit et ex ipsis quæsit ubinam Demetrium reliquissent, et quando is esset venturus. Tum Cato, amicis in risum conversis : « O miseram, inquit, urbem ! » Nec quidquam respondens, præterit¹.

In Pompeium ipsum vix tolerabilis erat Demetrius. Quum vero ejus arrogantiam patronus æquo animo pateretur, effecit ut eo leviora essent in eum ceterorum odia. Demetrius Romæ, vel ante patroni reditum, amœnissima suburbana, et pulcherrimas villas sibi comparaverat. Rem quatuor millium talentorum reliquit. Uxorem duxerat venustissimam, quam Pompeius, contra naturam suam, neque benigne, neque liberaliter tractavit, ne mira mulieris istius pulchritudine captus videretur.

Plerique Romanorum difficiliores quam Pompeius libertis suis aures præbebant. Valebant tamen apud omnes eorum hominum consilia et auctoritas, quorum aut fidem, aut prudentiam experiri potuerant. Quum græci libertini ceteros omnes ingenii acumine et subtilitate superarent, ne quis miretur eos præcipuum ac peculiarem locum in dominorum familiaritate usurpavisse, ut in hac innumera Græculorum turba, qui in romanam urbem undique penetrabant, ii maximas, ut ita dicam, partes gesserint, quorum conditio miserrima et infima videtur.

1. Plut. Pomp.

CAPUT IV

De Græcis apud Romanos testibus

Præter Græcos qui Romæ domicilium constituerant, fuere qui in hanc urbem peregre tantum et in tempus se conferrent. Hos inter præcipuum locum obtinent qui Romanos magistratus aut ipsi accusaverunt, aut eorum accusatores testimonio adjuverunt. Romani magistratus Græciam græcanicasque regiones non parcius quam ceteras provincias vexabant. Supererant tamen eorum socii certa quædam perfugia, quibus Græci melius atque aptius quam barbari utebantur, nempe patrocinia et hospitia, unde arcissima inter Romanos optimates et provincias oriebantur vincula. Hoc apud eos in morem verterat, ut quam quisque regionem in provinciam redegisset, illius patrocinium susciperet. Hujus modi patrocinia optimus quisque avidissime captabat et summo studio tuebatur, quum inde in ipsum et posteros fama et auctoritas redundarent. Et publicas civitatum, et privatas civium res patrocinium amplectebatur. Anno U. C. DCLVIII, Halesini, quum inter se controversias de senatu cooptando haberent, leges a senatu romano petiverunt. Senatus honorifico senatusconsulto decrevit ut C. Claudius prætor de senatu cooptando leges Halesinis conscriberet. C. Claudius omnes Marcellos adhibuit, quorum Siciliae patrocinium erat, et de eorum sententia leges Halesinis dedit¹. Ad patronos sociæ civitates confugiunt, si quando a prætoribus male mulcatæ sunt. Apud Marcellos, totius provinciæ, apud Claudios,

1. Cic. in Verr. 11, 49.

Messanæ patronos, Siculi de Verris injuriis conqueruntur¹. Marcellos in tota Sicilia nemo non adire aut appellare potest. Quid plura? Eadem sunt provinciis patrocini ac clientelæ jura, quæ civibus Romanis olim fuerunt. Ut plebeios clientes quondam patroni tuebantur, sic provincias nunc contra prætorum impotentiam defendunt.

Hospitii non minora sunt quam patrocini jura. Ea Romani iisdem de causis retinent, quibus patrocinium observant, quo longius auctoritatem et nominis sui famam proferant. Est quædam, ut ceterarum rerum, sic patrocini et hospiti hereditas. Quibus hospitibus pater, iisdem liberi utuntur. Tanta erat hospiti fides, ut, anno U. C. DCXLIX. Cn. Domitius Ahenobarbus, tribunus plebis, M. Junio Silano diem dixerit, ob unius hominis, Galli Egritomari, paterni hospitis, injurias². Quicumque in Sicilia a Verre injuriam acceperunt, Romam se conferunt, hospites adeunt, et ab eis jus repetunt. Si quis amico aut hospite caret, huic patroni adsunt. Talis erat Heraclius Syracusanus, qui, quum a Verre maxima bonorum parte spoliatus esset, Marcellos adiit, quorum opera amissa recuperaret³.

Haud multos e nobilissimis græcarum urbium civibus reperire est, qui magnis amicitiiis Romæ careant. Ab his hospitibus et amicis auxilium in necessitatibus suis impetrant. Apud eos, quotiescumque se Romam conferunt, divertunt. Lucullorum hospiti ac familiaritate Eupolemus Calactinus fruitur, in quem Cicero tam lepide Verris furtum narravit⁴. Eundem sibi comitem Lucullus in bello Mithridatico assumit. Sunt multi Romæ Diodoro Melitensi hospites. Ubi audivit se a Verre, ob toreumata sua, capitalis criminis reum factum esse, Romam pergit, Marcellos, communes Siciliæ patronos, hospites et amicos suos, adit sordidatus, quo majorem moveat misericordiam; rem

1. Cic. in Verr. 11, 4. — 2. Cic. in Cœcil. 20. 3. Cic. in Verr. II, 14. — 4. Cic. in Verr. IV, 23.

cunctis narrat. Tantum excitat motum, ut a patre et amicis Verres litteras accipiat vehementes : « Videret quid ageret, quo progredere de Diodoro ; rem claram esse et invidiosam ; perituum hoc uno crimine, nisi caveret¹. » Cicerone hospite utitur Apollonius Tyndaritanus, quem Verres in carcerem conjecit, quo majorem ab eo pecuniam extorqueret. Dio Halesinus, hereditate a Verre spoliatus, de incommodis M. Lucillum hospitem suum monet ; mox Romam, ad Q. Hortensium confugit, ut qui hospite suæ Serviliæ filiam in matrimonium duxerit. Hortensius de Dionis injuriis cum Verre per litteras gravissime queritur. Quod ad Sthenium Thermitanum, Pythodorum et Menodorum Trallianos attinet, optimi cujusque apud Romanos aut amicitia aut hospitio fruebantur².

Ut Græcis honestum et utile erat Romanorum hospitium, sic clarissimi tantum cujusque urbis cives tantam sibi commoditatem comparare poterant. Harum autem necessitatum aliæ ex hospitibus publicis, aliæ ex administrandis civitatum rebus, aut e fortuito aliquo casu oriebantur. Hospitia publica erant, quum Romani legati in socia urbe morarentur. Hoc quasi publicum munus sociis impendebat, ut magistratus, legatos et senatores exciperent³. Sociæ cujusque urbis optimates eis vicissim hospitium præbebant, quum plebecula legatorum asseclis domos suas aperiret⁴. Cicero, quo tempore Ciliciæ provinciæ præerat, Androne, Artemonis filio, Laodicensi, hospite usus est, quod hospitium in longam amicitiam vertit. Nec Ciceronis Andron, neque Andronis Cicero postea oblitus est⁵.

Fortuito casu Pompeii magni amicitiam Sthenius Thermitanus assecutus est, sed ita ut ea utrique honestissima videretur. Bello civili Marianas partes Thermitani summo ardore amplexi erant. Victis Marianis ducibus, Carboni

1. Cic. in Verr. iv, 19. — 2. Cic. pro Flacc. 22. — 3. Cic. in Verr. iv, 2. — 4. Cic. in Verr. 1, 32. — 5. Cic. ad Div. xxxi, 6.

ad extremum fidi manserunt. Pompeius, qui Marianæ factionis reliquias ardentissime persequebatur, in eo erat ut hanc civitatem castigaret. Obviam ei Sthenius processit, ac declaravit unum se peccavisse, se Marii amicum fuisse, se civibus auctorem ut has partes sequerentur; eundem dubios impulsisse, repugnantes cohibuisse; quapropter Pompeio non in Thermitanos, sed in unum Sthenium sæviendum esse. Qua magnitudine animi motus Pompeius, non Thermitanos solum, sed ipsum etiam pœna liberavit. Ex hoc die Sthenium in hospitem et amicorum numero habuit¹.

Quanto studio Romani amicitias et hospitia colerent e Ciceronis exemplo apparebit. Hospites ei in Sicilia, Græcia et Asia erant, quorum numerum comitate auxit. Quum Hermippum Trallianum in oranda L. Flacci causa graviter offendisset, nihil antiquius habuit quam ut ejus amicitiam recuperaret². Quos sibi comparaverat amicos, eorum res, famam, sedulo tuebatur, et amicis commendabat. Sunt epistolæ quibus Acilio, qui anno U. C. dccvii Siciliam regebat, sex e suis in Sicilia amicis commendat³. A Cæsare impetravit ut Philoxenus Calactinus in numerum deductæ Novum Comum coloniae adscriberetur, romanamque ita civitatem acciperet. Cicero per generum suum Dolabellam idem romanæ civitatis beneficium pro Demetrio Mega consecutus est, qui nomen suum in P. Cornelium Demetrium mutavit.

In Græcia præcipuum inter Ciceronis hospites locum obtinuisse videntur Lyso et Asclapo Patrenses, Hegesaretus Larissæus, Philippus Lacedæmonius, Xenomenes Thyræus, Democritus Sicyonius. Sed nullum majore quam Lysonem Patrensem amicitia amplexus est, cujus causam tanto studio apud Cæsarem et apud Sulpitium egit⁴. Non minore cura Antipatri Derbensis apud Philippum consulem,

1. Plut. Pomp. — 2. Cic. ad. Q. fr. 1, 2. — 3. Cic. ad. Div. XIII, 32, 34, 39. — 4. Cic. ad. Div. XIII, 19.

Zeuxidis Blaudenii apud Quintum fratrem, Andronis Laodicensis apud Servilium Isauricum rem et commoda defendit.

Maximam igitur Græci homines ex his Romanorum patrociniis et hospitiiis percipiebant utilitatem, in privatis ac publicis injuriis vel vitandis, vel ulciscendis. Si qua provincia a prætore leviter tantum læsa erat, minoris momenti damna perferre malebat, quam in eis ulciscendis grandem pecuniam impendere et graves inimicitias suscipere. Tunc tantum socii de suis injuriis querebantur, quum graviora mala et vere intolerandam impotentiam pertulerant. Mos erat ut Romæ civem unum deligerent, cui causam committerent. Sic anno U. C. DCLXV Achæi injurias quas a P. Gabinio acceperant, Pisoni ulciscendas tradiderunt. Anno U. C. DCLXXXIII Siculi Ciceronem delegerunt, quem probum et frugi quæstorem experti erant¹. At sæpe accidebat ut delectum a sociis patronum impugnet, si quis a nefario prætore injurias acceperat, quas ulcisci vellet. Adversus L. Pisonem Q. Metellus delationem nominis postulavit, ut qui se veteres inimicitias adversus P. Gabinium persequi diceret. Ciceroni adversus Verrem Q. Cæcilius obstitit. Sed neque Metelli adversus Gabinium, neque Cæcilius adversus Verrem nomina deferri iudices passi sunt. Hos esse accusatores decreverunt, quibus ipsi socii causam detulerant.

Cujus nomen delatum erat, huic supererat, ut certo dierum spatio provinciam peragraret, tabulas publicas et testimonia colligeret; testes vel libentes compararet, vel, si dubitarent, nominis denuntiatione Romam ire cogeret. Lege cautum erat ne quid accusatori in obeundo munere obstaret. Sed variis de causis sæpe impediabatur. Quum populi romani legatione instructus provinciam peragraret, publica ei in civitatibus hospitia patebant. Quanquam hoc publici hospitii jure Cicero, qua erat modestia, uti noluit.

1. Cic. in Cæcil, 20.

Ad hospites ac necessarios suos causæ communis defensor devertit potius quam ad illos qui ab eo auxilium petierant¹. Nemini adventus ejus aut labori aut sumptui, neque publice, neque privatim fuit.

Accusator ubi in provinciam pervenerat, omnium injurias anquirebat. Civitatis cujusque adeundus erat senatus, si paucorum consilio regebatur civitas; sin manserat popularis status, concionem sibi dari jubebat. Siculi omnes Ciceroni in obeundo munere faverunt. Unus eum prætor L. Metellus impugnavit. Is civitatibus iram suam minabatur, si quid gravius in Verrem decernerent. Prohibuit ne Syracusani senatores decretam Verri laudationem abrogarent, ne Heraclius Syracusanus et Epicrates Bidinus testimonii dicendi causa Romam peterent.

Alias, sed non ejusdem modi D. Lælius, anno U. C. dxciv, L. Valerium Flaccum accusaturus, in Asia difficultates offendit. Quum paternus esset Cn. Pompeii amicus, ejusque auctoritate fretus, nullus ei prætor obstabat. Erat juvenis, ardens, gloriæ avidus, quam nobili suscepta inimicitia sibi comparare poterat. Aderat igitur magnam secum amicorum copiam trahens; Pompeii nomen præ se ferebat; egentes viatici spe alliciebat, divites denunciandi testimonii metu terrebatur². Prætozem accusaturus erat, qui majore certe cura rem suam privatam, quam publicam provinciæ administraverat. Nec tamen ea erant Flacci delicta, quæ omnino intoleranda viderentur. Quum in Græcas conciones Lælius procederet, multitudinis iram in absentem prætozem facile accendebat. Sed optimatibus minus placebat. Ii enim, etsi facultatum suarum partem amiserant, multo plura sibi superesse intelligebant. Hoc eis potius curæ erat quemadmodum reliqua servarent, quam quemadmodum amissa ulciscerentur. Occurrebat eis rem periculosam esse, provinciæ patronum accusare; hujus autem generis pericula non in multitudinem obscuram,

1. Cic. in Verr. 16. — 2. Cic. pro Flacc. 6.

sed in civitatum optimates recidere. Inde evenit ut Tralibus, quum Lælius et plebicola Mæandrius civium iram in Flaccum acuerent, optimates e concione egrederentur. Nulli adversus Flaccum decreto adesse voluerunt¹. Tralianorum exemplum ceteræ civitates secutæ sunt. Multos tamen testes Lælius Romam secum adduxit, sed paucos e nobilitate.

Ex his quæ jam diximus facile intelligitur, quotiescumque romanus prætor aut proconsul, male administrata græcanica provincia, in jus vocatus est, magnum Græcorum numerum Romam convenisse. Aderant primo legationes, quæ communis causæ defensorem eligerent. Testes sequebantur, quorum duo erant genera, privatorum et publicorum. Privati res suas repetebant; publici civitatum causam agebant. Quem civitates quædam accusabant, aliæ laudabant. Una Mamertinorum civitas reperta est, quæ Verrem defenderet. At L. Flaccum, ut Asiæ civitates lædebant, sic Massilia, Achaïa, Athenæ per legatos tuebantur. Testes ex ærario viaticum accipiebant, numeratam secundum viæ et iudicii longitudinem pecuniam, ut hæc itinera nonnulli quam maxime sibi quæstiosa efficere conarentur. E testibus quos Lælius Romam adversus Flaccum adduxerat, tres professi sunt se novem secum servos habere, quo amplius viaticum acciperent: at compertum est eos omnino sine comite venisse².

Postquam testes advenerant, plerique aut ad amicos, aut ad hospites devertabant. Lælius, quoscumque testes in peragranda Asia coegerat, domi hospitio excepit; quorum unus, e numero eorum quos Dorylensium civitas miserat, quum testimonium suum protulisset, repente occisus est. Nec suspicio abfuit eum per Flacci sicarios interemptum esse. Ipse Lælius sceleris invidiam in Flaccum aperte conferebat³. Hinc ceteri ab insidiis cavere, neque imme-

1. Cic. pro Flacc., 33. — 2. Cic. pro Flacc., 18. — 3. Cic. pro Flacc., 17.

rito; Romæ enim hujus modi scelera facilius patrabantur quam detegebantur.

Judicia quæ Romani de repetundis vocabant, fabulæ ego comparaverim in quatuor actus divisæ. Primo actu, testibus interrogandis; secundo, orandæ causæ hinc accusator, illinc defensores vacabant; tertio, earum civitatum legati audiebantur, quæ in reum laudationes decreverant; quarto actu iudices sententiam dabant.

Primi igitur actus materia, ut ita dicam, testimoniis constabat. Testes in nostris judiciis is tantum interrogat, qui iudicibus præest. Romæ tacebant et iudices et prætor. Ab accusatore primum, ac deinde a rei defensoribus testes interrogabantur. Accusatoriæ artis pars erat testes ornare, amplificare, infantibus facundiam, timidis audaciam, impudentibus modestiam addere. Testibus accusator erat amicus, patronus, hospes. At defensor, quali arte eos quasi priorum responsorum laqueis irretiebat! Quam impudenter terrebat! Quos risus apud iudices, quos in corona cachinnos movebat! Postquam interrogati erant testes, perpetua accusatione reum accusator impugnabat, patroni defendebant. Hic rursus de testibus et testimoniis agebatur. Testimonia quanta essent, quam vera, quam gravia, testes quam modesti, quam honesti, accusator ostendebat. At eosdem majore etiam ardore defensores exagitabant. Vide quam audacter asiaticos Lælii adversus L. Flaccum testes Cicero lacessat, quam perite eorum auctoritatem concutiat! Scilicet græcos homines omnibus artibus exultos et eruditos esse, at quæ sit jurisjurandi religio plane ignorare. An eos esse tolerandos testes, qui nunquam in dicendo dubitare videantur, quibus nunquam verba deficiant? Græcos non quid jure dicere possint, sed quemadmodum reum lædant curare. Romanorum, qui pie, timide, pudenter loquantur, vera esse testimonia; Græcorum nihil esse præter jactationes et invidiam. Quanquam hos asiaticos testes ne Græcos quidem esse, sed Phryges,

Mysos, Lydos, plenum levitatis hominum genus. A Græcis, nempe Massiliensibus, Achæis, Atheniensibus, Flaccum laudari. Ipsis Asiaticorum decretis quis credat, quum ea non senatûs, sed concionis, non sapientium civium sententiis, sed egentis plebeculæ temeritate expressa sint? Deletis testimoniis, testes ipsos patronus aggreditur. Creddas totius Asiæ fæcem a Lælio Romam adductam esse. Nemo non ex eis turpi quodam crimine damnatus; nemo non egenus, audax, impudens: Quicumque Ciceronis orationem perlegit, aut asiaticarum civitatum levitatem, aut Lælii stultitiam, aut potius romanorum patronorum impudentiam mirari cogitur.

Et quidem verisimile est, quum unius iudicii causa tam multi testes Romam confluerent, plurimos extitisse inter eos nebulones, qui patronorum probris digni viderentur. Hoc in genere, unus e Lælii adversus L. Flaccum testibus Heraclides Temnites veram Græci rhetoris egeni, improbi, ambitiosi et avari imaginem effingit. Paucis annis antequam accusaretur L. Flaccus, quum Asiæ provinciæ T. Aufidius prætor præesset, frumento publico custos positus erat, et pecuniam acceperat a P. Vareno prætore¹. Id cives celavit, ut novam ab eis mercedem acciperet. Re cognita, Temno migravit, Romam se contulit, ibique rhetoricæ professor factus est. Quum nec inficetus, nec rhetoricæ rudis videretur, nonnullos circa se discipulos, et eos quidem divites habuit. Quo majorem sibi auctoritatem conciliaret, verbis se locupletem faciebat. Fundum quendam e Cymæorum agro, e pupillo Meculonio mercatus est. Nec tamen illæ erant ejus opes ut fundum e suis facultatibus exsolveret. Pecuniam a C. et M. Fufio, equitibus romanis, mutuam sumpsit; Hermippo, cive suo, vade usus est. Heraclides ei pollicitus est pecuniam, quam ejus fide sumpsisset, a discipulis suis sese persolurum.

1. Cic. pro Flacc. 19.

Securus Temnum Hermippus proficiscitur. At Heraclidi res minus bene quam speraverat cesserunt : neminem e discipulis eo perducere potuit ut nummum ullum crederet. Quum intelligeret non multo faciliorem sibi Romæ quam in Asia fore fortunam, clam profectus est. Multas in urbe minutas mutuationes reliquit, quas quidem sibi persolvendas esse omnino oblitus est. Ubi in Asiam rediit, Hermippo percontanti de nomine Fufiano respondit se omnem pecuniam Fufiis persolvisse. Sed ecce paulo post libertus a Fufiis cum litteris ad Hermippum venit : pecunia ab Hermippo petitur ; Hermippus ab Heraclide petit. Ipse tamen Fufiis absentibus satisfacit, fidem suam liberat. Hinc, ut fit, Heraclidem iudicio persequitur. Dantur a prætore recuperatores, qui rem cognoscant ; Heraclides negat se omnino Romæ versuram ullam fecisse ; profitetur se Fufiorum nomen nunquam audivisse ; Hermippum omni probrorum genere prosequitur. At res ne ambigua quidem erat. Recitatis Fufiorum testimoniis et litteris, recuperatores eum Hermippo pecuniam exsolvere jusserunt. Quum iudicatum non faceret, addictus est Hermippo ut serviret, quoad credita pecunia dissoluta eset.

Tunc in serium verti rem intellexit, fideique liberandæ causa, mancipia aliquot Hermippo vendidit. Quum sic libertatem recuperasset, Asiæ provinciæ et L. Flacco prætori valedixit, Romam iterum se contulit. Ubi L. Flacco Q. Ciceronem successisse audit, in Asiam redit. Ibi palam queri, Ciceronem adire, Flaccum accusare, recuperatores, vi et Flacci metu coactos, falsum et invitos iudicasse. Quid plura ? rescindendum L. Flacci iudicium esse clamabat. Q. Cicero decrevit ut, si iudicatum negaret, in duplum iret ; si metu coactos diceret, haberet eosdem recuperatores. Recusavit Heraclides, seu quod causæ, seu quod recuperatoribus parum confideret. Hac spe destitutus, quam in Q. Cicerone positam habebat, Hermippum aggres-

sus est, ab eo mancipia, quæ vendiderat, petere cœpit. Res ad M. Grattidium legatum defertur. Hic se daturum actionem negat, re iudicata stari placere. Heraclides, qui nihil in Asia proficeret, Romam redit; persequitur Hermippus. Heraclides C. Plotium senatorem, qui legatus in Asia fuerat, et Hermippo vendita mancipia emerat, aggreditur. Petit ut ea sibi restituantur; neque enim libenter, sed iniquo iudicio coactum vendidisse. Iudex eligitur Q. Naso, qui rem arbitrio componat. Qui quum sententiam secundum Plotium se dicturum ostenderet, Heraclides ab eo iudice abiit, et rem totam reliquit.

Sed iis erat moribus ut ei nullus esset unquam consistendi locus. In Asiam regressus, errabundus rhetor vici cujusdam, ad Tmoli montis radicem jacentis, incola factus est. Ubi autem hanc rem apud Temnitas agi audiit, ut testes adversus L. Flaccum eligerent, invicta eum cupido invasit hunc honorem ambiendi. Non parva erat Temnitarum ira in L. Flaccum, qui grandem ex ea civitate pecuniam exegerat, quum xv millia drachmarum tantum in publicas litteras relata essent. Reliquam pecuniam magistratus variis nominibus coacti erant dissimulare, quasi ea in reficiendis ædibus sacris usi essent. Quod quum cives indigne ferrent, facile accensi animi ad id adducti sunt, ut testes adversus Flaccum eligerent. Hanc legationem optimus quisque detrectabat potius quam appetebat. Hinc evenit ut istud munus ambitiosiores magis quam honestiores acciperent. Ex eorum numero fuit Heraclides.

Heraclidi tandem contigit ut Romam regrederetur, non privatus, ut antea, sed civium suorum legatus. Cujus quidem legationis non prospere cessit initium. Quum enim ipse, ac duo e ceteris Temni testibus, Lysanias et Nicomedes, novem servos se habere professi essent, quo majus viaticum perciperent, omnino sine servo venisse eos compertum est. Hoc cuilibet alii, vel grave, vel inhonestum videri potuisset. Non is erat Heraclides, qui tam

facile animum desponderet. Accusatoribus assidebat; testes adhortationibus accendebat. Ne iudices quidem omittebat, et ipsos L. Flacci patronos. Seu quo plures amicos habere videretur, seu quod eorum gratiam captare vellet, nullam diem præterire patiebatur, quin iudices, et e patronis præcipuos, Q. Hortensium et M. Ciceronem persalutaret.

Non omnibus græcis testibus inerat Heraclidis impudentia. Erant inter eos qui virtute et honestate ipsorum Romanorum amicitiam sibi compararent. Primum in hoc genere locum obtinuit Sthenius Thermitanus. Jam memoravimus quomodo Pompeii amicitiam obtinuerit. Vir erat unus e civitatis suæ nobilissimis. Sed virtute nobilitatem longe superavit. Erat præterea litteris et ingenuis artibus excultus. Quum adolescens Græciam et Asiam peragravisset, pulcherrimam inde prædam abstulerat, elegantissimam ex ære suppellectilem, vel Deliacam, vel Corinthiam, tabulas pictas, etiam argenti bene facti, prout Thermitani hominis facultates ferebant, satis¹. Publicos omnes honores in patria adeptus, amplissime et magnificentissime gessit. Parva erat Thermitanorum civitas, et parvum oppidum, quod Himeræi, quum a Pœnis eversa esset Himera, in finibus suis condiderant, ut eversæ urbis memoriam magis quam imaginem referret². Hoc Sthenius, privata impensa, locis communibus et monumentis decoravit. Tanta fuerunt ejus in Thermitanorum rempublicam merita, tanta in Siculos omnes, ut Thermis in curia ænea tabula fixa fuerit, in qua publice erat de ejus beneficiis scriptum et incisum. Sthenii auctoritatem omnes Romani optimates verebantur. Quæ quanta fuerit, uno exemplo facile apparebit.

Anno U. C. dclxxviii, Senatus L. Octavio et C. Aurelio Cottæ consulibus permisit, ut vini, olei, et frugum minutarum decumas, quas antea quæstores in Sicilia ven-

1. Cic. in Verr. 11, 34. — 2. Cic. in Verr. 11, 46.

dere consuevissent, Romæ venderent, legemque de his rebus quam ipsis videretur edicerent. Quum locatio fieret, publicani postulaverunt ut quasdam res ad legem adderent, neque tamen a censoriis ceteris legibus recederent. Sthenius, qui tunc forte Romæ erat, publicanis contradixit. Consules causam cognoverunt. Adhibitis in consilium primariis viris et amplissimis civitatis, de eorum sententia decreverunt nihil in vetere regis Hieronis lege mutandum, qua decumæ in Sicilia locari solitæ essent. Sthenius enim eis ostenderat hanc vectigalium amplificationem toti Siciliæ maximo incommodo futuram¹.

Eadem in Verrem constantia Sthenius usus est, quam in omni vita sua observaverat. Sed non is erat Verres quem unius hominis virtus ab explendis cupiditatibus deterreret. Sthenii hospes erat. Quum apud eum sæpenu-mero Thermis habitavisset, e domo ejus abstulit omnia quæ paulo magis animos aut oculos poterant delectare. Stragulas vestes, tabulas pictas, cælata ex ære aut argento vasa, alia rogando, alia poscendo, alia sumendo, omnia eripuit. Quod quidem Sthenius ferebat, ut poterat. Dolorem suum nemini impertiebat, prætoris injurias tacite, hospitis placide tolerandas ratus². Sed novæ apud Verrem cupiditates exortæ sunt, quas Sthenius, quo erat patriæ amore, nec tacere, neque omnino pati poterat.

Erant Thermis tres pulcherrimæ statuæ, quas in capi-enda Himera urbe ereptas et Carthaginem a Pœnis translatas, Thermitanis Scipio Æmilianus restituerat: in his mira pulchritudine ipsa Himera, in muliebrem figuram habitumque formata ex oppidi nomine et fluminis. Erat etiam Stesichori poetæ statua senilis, incurva, cum libro, summo artificio facta; præterea capella quædam ænea, quam vel harum artium rudes mirabantur. Hæc signa Verres ad insaniam concupiscebat. A Sthenio igitur petere cœpit ut ad ea tollenda operam suam polliceretur, seque

1. Cic. in Verr. III, 7. — 2. Cic. in Verr. II, 43.

adjuvaret. Sthenius non solum negavit, sed etiam ostendit id fieri non posse, ut signa antiquissima, monumenta Scipionis Africani, ex oppido Thermitanorum, incolumi illa civitate, tollerentur. Nec tamen Verrem ab iis possendis deterrere potuit. Quum res in senatu ageretur, Sthenius vehementer restitit; urbem relinquere Thermitanos esse honestius, quam si patiantur ex urbe tolli monumenta majorum, spolia hostium, beneficia clarissimi viri, indicia societatis populi romani atque amicitiae. Commoti sunt omnium animi. Repertus est nemo quin diceret mori satius esse. Unum igitur Thermitanorum oppidum Verres invenit, unde nullum monumentum per vim, nullum occulte, nullum imperio, gratia aut pretio posset auferre.

Sed in Sthenium vehementer infensus esse cœpit. Protinus hospitium ei renuntiat. Nulla erat apud Græcos adeo bene morata civitas, ut intestinis dissensionibus vacua esset. Nemo cives suos vel ingenio, vel virtute superaverat, quin invidos et inimicos sibi compararet. Inter Sthenii inimicos præsertim eminebant Agathinus et Agathini gener Dorotheus. Utrumque in Sthenium accendebat Callidama, Dorothei uxor, quæ patris et mariti iram acuere, odium stimulare solita erat. Agathinus igitur et Dorotheus, ubi Verrem e Sthenii domo migravisse audiunt, in domum suam invitant. Prætor, cui Callidama neque informis, neque crudelior videretur, Dorothei domum petit. Ibi homines hortatur ut aliquid periculi Sthenio creent, crimina confingant; eos in Sthenium, quidquid velent, simul atque ad se detulissent, probaturos. Nec procrastinant: Sthenium statim educunt; accusant eum quasi literas publicas corruperit. Sthenius postulat ut hanc sibi causam coram civibus, secundum patriæ leges, agere liceat. Verres respondet se de ea re cogniturum: Sthenium ad causam dicendam hora octava paratum venire jubet. Ita inter eos ordinata res erat, ut quum Sthenium prætor

sine ullo argumento, sine teste, damnasset, virgis cæderetur. Hæc autem quasi conjuratio Callidamæ levitate patefacta est : neque enim tacuit. Sthenius, de amicorum sententia, Romam profugit. Absentem postera die Verres damnavit : hoc etiam addidit, ob eam rem H.-S. quingenta Veneri Erycinæ de Sthenii bonis exacturum. Bona ejus statim vendidisset, si tantulum moræ fuisset, quominus illa pecunia numeraretur.

Nec tamen illa iniquitate contentus, palam de tribunali pronuntiavit, si quis absentem Sthenium rei capitalis reum facere vellet, se ejus nomen recepturum. Quum Agathinum hortaretur hoc ut crimen susciperet, ille clare, omnibus audientibus, respondit, sese id non facturum, neque enim usque eo Sthenio esse inimicum, ut eum rei capitalis affinem esse diceret. Quod Agathinus detrectaverat, Pacilius quidam suscepit. Sthenii nomen recepit Verres; protinus edicit ut Sthenius Kalendis decembris adsit Syracusis.

Interea Sthenius Romam advenerat. Amicis et hospitibus narrat quam in se Verres injuriam admiserit. Res omnibus, ut erat, indigna videtur. In senatu Cn. Lentulus et L. Gellius consules mentionem faciunt placere Senatui, si Patribus videretur, ne absentes homines in provinciis rei fierent rerum capitalium. Senatum totam Sthenii causam docent. Aderat in senatu prætoris pater. Is senatorem unumquemque flens orare atque obsecrare cœpit, ne quid adversus filii famam decernerent. Nec multum proficiebat, ob summam senatûs in Sthenium voluntatem. Fuere etiam qui gravissimum in C. Verrem senatusconsultum proponerent, quo in Sthenium absentem si quod iudicium fieret, irritum esse juberent. Huic proposito Verris amici non ausi sunt palam obsistere. Sed orationes producendo pervicerunt ut tempus tereretur, nec quidquam in senatu eo die perageretur. Dimisso senatu, Verris pater Sthenii hospites adire, rogare ne filium suum op-

pugnent; sibi eam rem curæ futuram; missurum epistolas, missurum homines certos, ne quid per filium Sthenio noceatur. Commoventur Sthenii amici; quum superent ante Kalendas decembres dies fere xxx, sperant fore ut a furore prætor revocetur. Sthenii causa in senatu agi desiit.

Nec promissa Verris pater omisit: sed nihil apud filium profecit. Die kal. dec. Sthenius absens a prætore damnatus est. Hinc quidem nova ei pericula oriri potuissent. Neque enim, si quis in provincia capite damnatus erat, licebat enim in Urbe manere. Sed Sthenii causam Cicero apud tribunos plebis egit. Tribuni ad unum omnes pronuntia-verunt non videri Sthenium impediri edicto, quominus ei liceret Romæ esse. Romæ igitur mansit, et adversus Verrem testimonium protulit. Hoc autem in hac causa mirum accidit, ut Verrem omnium civitatum legati accusarent, Sthenium laudarent. Certe Sthenius non minorem in Verrem constantiam adhibuerat, quam quum cives suos coram Pompeio defenderet, neque immerito, ob acceptum pro patria exsilium, aucta est in eum Siculorum benevolentia.

Hoc a ceteris gentibus apud iudices romanos græci testes plerumque differebant, quod, quum ceteri in hac immensa urbe, coram vitæ ac fortunarum suarum dominis iudicibus, quasi attoniti starent, ipsi audaces et impavidi manebant. Neque accusatorum minis, neque patronorum convitiis aut multitudinis risu movebantur. Intelligebant enim quibus artibus, vel victi ac domiti, Romanos superarent, nec se in hac urbe ita alienigenas esse, ut in qua vix pauciores Græcos quam vere Romanos homines invenirent.

CAPUT V

**Quomodo Græci homines Romanorum amici
auctoritate sua usi sint**

Ex iis que jam memoravimus apparuit multos fuisse Græcos qui se Romanorum optimatum familiaritati addicerent, neque ab eis fere discederent. Quos sibi amicos et patronos delegerant, eos sequebantur consiliisque et adhortationibus adjuvabant; eorum res administrabant, ut ne publicis quidem rebus abstinerent. Has Græculorum cum romanis ducibus et magistratibus amicitias libenter comparaverim cum familiaritate et necessitudinibus quæ, quinto et sexto post J.-C. seculo inter Gallos Romanosque cives ac barbaros e Germania oriundos exortæ sunt: Et Græculi Romanorum ducum amici, et Romani Gallique barbarorum ministri conditionis humilitatem ingenii subtilitate reparare cogebantur. Hoc tamen inter se differunt, quod, ut barbaris regibus Romani duces, sic Romanis et Gallis barbarorum amicis Græculi vel humanitate, vel doctrina longe præstant.

Græculorum plerique, quam sibi apud Romanos auctoritatem comparaverant, ea usi sunt, ut magna in patriam suam beneficia conferrent. Lesbii M'. Aquilium multosque Romanos Mithridati vinctos tradiderant. Quum in eo esset Pompeius ut eorum defectionem castigaret, Theophanes Mitylenæus veniam ab eo pro civibus suis et libertatem impetravit¹. Idem Pompeius, Demetrii liberti

1. Vell. Pat. 11, 18.

sui precibus motus, Gadaram urbem, a Judæis eversam, instauravit et liberam esse jussit¹. Inter Cæsaris Augusti præceptores duo philosophi eminuerunt, Tarsensis Athenodorus et Areus Alexandrinus. Athenodorum Tarsenses, quo facilius a Cordylione Athenodoro secernerent, filium Sandonis, Calvum aut Cananitam cognominaverant. Ciceronis primo amicus fuit, qui, quum Appii Claudii Pulchri a quo Ciliciam provinciam acceperat, arrogantiam non facile toleraret, hæc ei scripsit : « Tu, si aliter existimas, nihil errabis, si paulo diligentius, ut quid sit *ευγενεια*, quid sit nobilitas intelligas, Athenodorus, Sandonis filius, quid de his rebus dicat, attenderis². » Athenodorus erat stoicæ sectæ philosophus, librumque de officiis conscripserat. Quum apud Cæsarem Augustum grandis natu consenuisset, in patriam redire voluit. Quam veniam a principe petiturus, hæc ei valedicens verba protulit : « Quum irasceris, Auguste, nihil ante vel dixeris, vel feceris, quam tecum quatuor et viginti orationis elementa repetiveris. » Manu ejus arrepta Augustus : « Etiamnum, inquit, tua mihi præsentia opus est. » Hunc igitur per totum annum secum retinuit. Anno tandem exacto, Tarsum Athenodorus regressus est³.

Hanc urbem Boethus quidam, malus poeta et malus civis, ad arbitrium regebat et diripiebat, plebi gratosus, optimo cuique molestissimus. M. Antonii favore subnixus creverat, quum in honorem ejus, post relatam apud Philippos victoriam, carmen conscripsisset. Tarsensibus Antonius pollicitus erat se in eorum urbe gymnasium ædificaturum. Boethus, quem gymnasio præfecerat, et alias res, et oleum subripiens deprehensus est. Qua de causa quum apud Antonium accusatus esset, iram ejus deprecatus est, dicens : « Ut Achillem et Ulysem Homerus, sic ego te cecini; illud vero indignum sit, si a te damnatus in

1. Liv. Supp. cv, 28. — 2. Cic. ad Div. xii, 7. — 4. Plut. Apophth. v, 7.

angustias adducar. » Cui accusator respondit : « At Home-
rus non modo non Agamemnonis, sed ne ipsius quidem
Achillis oleum subripiebat. » Blanditiis tamen Antonium
Boethus placavit, et, vel everso Antonio, præcipuum in
civitate locum retinuit. Quam quum restituendam susce-
pisset Athenodorus, primo adhortationibus usus est, si
posset Boethum et ejus fautores a republica administranda
avertere. Quod quum non exsecutus esset, eorumque con-
vitiis lacesseretur, litteras protulit, quibus ei Augustus
summam rerum permiserat. Eos omnes exsilio damnavit¹.

Areus Alexandrinus, ejusque filii Dionysius et Nicanor,
Augusto semper gratissimi fuerunt. Horum operam in
græcis litteris ediscendis adhibuerat². Alexandriam anno
U. C. DCCXXIII, post actiacam pugnam, cum Areo philosopho
colloquens, dextramque ejus tenens, ingressus est, ut eum
civium oculis et admirationi proponeret. Inde in gymna-
sium se contulit, suggestumque ad id erectum conscendit.
Alexandrinus metu consternatos et ad terram collapsos
surgere jussit, omni se culpa populum liberare, primum
ob conditorem urbis Alexandrum, deinde ob miram urbis
pulchritudinem, tertio in gratiam Arei³. Multos Arei
precibus condonavit, quos necare potuisset. Horum unus
fuit Philostratus, omnium rhetorum peritissimus, sed
qui se inter academicos importune ingereret. Cujus Cæsar
mores etiam abominans, preces aspernabatur. Iste vero
cana demissa barba, pullum gerens amictum, Areum
sequebatur, hunc identidem versum occinens :

Prudentem prudens servat, prudentia si sit.

Quod quum esset Cæsari allatum, Areum ut invidia
liberaret, Philostratum missum fecit. Idem Areus auctor
ei fuisse Cæsaronis occidendi memoratur. Areum postea,
in locum Tarsensis Theodori, Siciliae provinciae præfecit.

Etsi ea erat Arei apud principem auctoritas, eaque for-

1. Strab. xiv, 5. — 2. Suet. Aug. 8. — 3. Plut. Ant. 79.

tuna, quam plerique Græculorum optare poterant, felicior etiam fuit rhetor Polemo, unus ex Antonii amicis. Laodiceæ natus erat, Zenonisque rhetoris filius. Hanc sibi apud Antonium gratiam comparavit, ut ab eo cum regis nomine, partem non minimam Ponti acceperit¹. Quum regnum sapientissime administraret, Augustus novis cum beneficiis cumulavit. Ponto enim, quam eo ex tempore Romani Polemoniacam vocaverunt, Bosphorum adjecit. Polemo Pythodorum uxorem duxit, Pythodori Tralliani filiam, quem, ob nimiam in Pompeium amicitiam, Cæsar bonis omnibus spoliaverat. At Pythodorus, qui ditissimus e totius Asiæ Græcis erat, bona sua omnia redemit, nec minorem duobus talentorum millibus pecuniæ summam liberis suis reliquit². Non Pompeii solum, sed Luculli, Ciceronis et omnium fere Romanorum amicitia Pythodorus floruerat.

At his omnibus Græcis alii fuere nobiliores, qui Romanorum gratia non ut suam ipsi fortunam auferent, sed ut rerum et liberalium artium scientiam amplificarent, usi sunt. Quum Romani maximam earum regionum partem subegissent, quæ mediterraneo mari circumluuntur, quam romanam vocabant pacem, ea geographicarum præsertim rerum scriptores frui potuerunt, ut ignotas majoribus suis terras explorarent. Hinc evenit, ut quas-cunque regiones Romani in provinciarum formam redegerant, earum magnitudinem Græci certis mensuris notarent, et imaginem pictis tabulis aut pergamenis chartis exprimerent. Barbararum gentium, quibus dominationem suam Romani imposuerant, Græci mores, linguam et vivendi genus descripserunt: ut in omnibus ignotis antea Europæ partibus, nempe Hispania et Gallia, quasi duplex semper fuerit expeditio, quum eas armis Romani, scientia Græci perlustrarent.

Quod ut opus aggredierentur Græci philosophi para-

1. Str. XII, 7. — 2. Str. XIV, 1.

fissimi erant. Jam ipsa cœlestium rerum cognitione certis mensuris uti didicerant. Neque enim eos fefellerat quam apte terrestrium locorum descriptio cum siderum scientia congrueret, ut terram ipsam secundum cœli climata notare ac dividere tentaverint. Quum præterea Alexandri magni et ejus legatorum bella, mox ipsi Parthorum reges eis omnes ad Orientem jacentes terras aperuissent¹, major apud eos ardor exortus erat ceteras etiam terrarum orbis partes pernoscendi. In iis autem regionibus quæ ad occidentem solem spectabant, multa erant quæ eos allicerent et detinerent: scilicet, sive naturam rerum considerabant et scrutabantur, Oceanus et maris æstus, qui fama tantum antiquis noti fuerant; sive gentium et locorum explorationem, omnia eis ignota erant et inaudita, quum Galliam tot ditissimæ simul et stolidæ gentes, Hispaniam tot artium rudes et moribus inculti populi habitarent. Hoc tamen eis in hac audaci novarum regionum investigatione nocuit, quod, quum res animo prius præcipere consuevissent quam experimento penitus cognoscerent, mancam sibi terræ imaginem effllexerant, quam omnes, quasi re probatam, ne recognoscendam quidem sibi arbitrabantur. Quum enim et mundi et terrarum quinque Zonas esse crederent, quarum una ardenti, duæ clementi, duæ gelido sub cœlo jacerent, persuasum habebant eas solum habitabiles esse regiones, quæ clementiori sole fruerentur². Si quis navigator profitebatur ultra clementis zonæ fines incolas sibi apparuisse, testimonium ejus, tanquam manifeste mendacis, redarguebant, ut nulla esset apud eos peritissimi viri, Pythæ Massiliensis, auctoritas³. Ipsi, quos credebant a natura clementi zonæ impositos fines ut assequerentur et explorarent, ne cogitabant quidem. Id eis satis esse videbatur, si apertas regiones peragrarent et docte describerent.

Ne quis credat tamen parvam eorum operam in geo-

1. Str., 1, 2. — 2. Str., 11, 2. — 3. Str., 1, 4.

graphicarum rerum scientia fuisse. Quamvis sæpe erraverint, multo sæpius veritatem assecuti sunt. Hac in doctorum virorum turba primum locum obtinet Posidonius, Stoicæ sectæ philosophus. Hanc in philosophia sibi famam pepererat, ut nemo inter Panætii discipulos dignior habitus sit, qui magistro succederet. Quum inexplata investigandæ rerum naturæ curiositate laboraret, magnam Asiæ partem primo peragravit. Mox etiam, quum clarissimi cujusque e Romanis optimatibus amicitia frueretur, Africam, Hispaniam et Galliam exploravit¹. Librum de Oceano conscripsit, et in eo quodcumque de geographicis rebus compererat exposuit. Hanc esse sibi naturæ investigandæ rationem præ se ferebat, ut nihil pro comperto haberet, nisi quod plane evidens appareret. Quanta sagacitate omnia observaret vel hoc uno manifestum est, quod optime intellexerat summam terræ cutem non ita stabilem ac solidam ubique consistere; sed esse in ea partes quarum aliæ paulatim exsurgerent, aliæ sensim deprimerentur².

Posidonium in peragrando occidente multi prægressi erant, et multi secuti sunt. Ante eum clarissimi in his regionibus viatores fuisse videntur Polybius et Artemidorus. Qualis fuerit Polybius jam supra diximus. Artemidorus Ephesi natus erat. Non parvam civibus suis operam navavit, quum habita apud Romanos senatores oratione, pervicit ut duorum vicinorum lacuum a Pergamenis regionibus erepta vectigalia eis restituerentur: his enim ex fructibus maximas Dianæ templi opes constare: quam ob causam Ephesii auratam ejus statuam in Dianæ templo locaverunt³. Artemidorus summa cura Hispaniam præsertim peragravit, nec solum cæli ac telluris naturam, sed incolarum etiam mores notavit⁴. Ex iis qui Posidonium secuti sunt, unius mentionem faciemus, qui multorum imaginem quasi repræsentare potest. Hic erat Asclepiades Myrlæus, Apollonii Molonis discipulus. Quum

1. Str., xvii, 2. — 2. Str., iii, 3. — 3. Str., xiv, 1. — 4. Str. iii, 2.

Romæ litterarum scholam instituisset, Pompeii amicitiam adeptus est, adeo ut eum in Hispaniam sequeretur. Asclepiades in Turdetania discipulos invenit, quos græcas litteras doceret. Librum edidit, quo Turdetaniæ gentes describeret¹. Liber ejus fabulis refertus erat, et iis quidem ineptissimis. Quum tamen multa vidisset et exploravisset, haud plane inutilia esse poterant hujus modi scripta.

Quum rhetores circa omnes Romanos duces abundarent, et, ubi quid novi repererant, libros facile componerent, evenit ut Romani, Græcorum opera, imperium suum prius pæne cognoscerent quam subigerent. Ipsi enim, ut ad remotissimas gentes armis occupandas erant aptissimi, sic eas docte explorare et describere minus poterant. Quamvis Romani annalium scriptores Græcos imitarentur, pauca geographicarum rerum scientiæ adjiciebant. Ple-rique his contenti erant, quæ in Græcorum libris expla-nata invenerant².

Quodcumque in explorando terrarum orbe Græci repe-
rerant, duabus maxime rebus, ut ita dicam, absolverunt, quæ eorum scientiam testarentur et posteris commenda-
rent. Nam et omnes Romani imperii provincias emensi sunt, et quæcumque aut viatores invenerant, aut rhetores ac philosophi libris suis notaverant, ea in artis formam redigere tentaverunt. Quum enim, anno U. C. dccxix, Cæsar ex senatusconsulto decrevisset doctissimos et peritissimos viros esse deligendos, qui Romanum omne imperium metirentur, quatuor ad hoc opus Græci electi sunt. Quæ ad orientem solem provinciæ spectabant, Zenodorus intra xiv annos; quæ ad occidentem, Didymus intra xviii annos; quæ ad septemtriones jacebant, Theodotus intra xxi annos; quæ ad meridiem, Polycletus intra xxv annos, emensi sunt, ut tantum opus intra xxv annos perficere, et de ea re ad Senatum referre potuerint³.

Quod ad ipsam Geographiæ descriptionem attinet, ejus

1. Str. iii, 3. — 2. Str. iii, 4. — 3. Ethic. cosmogr., p. 705.

fundamenta geometriæ quasi locaverant. Hoc supererat ut multis libris sparsas investigationes in unum corpus Græci cogerent. Multi erant marium conscripti peripli; multæ omnium fere regionum descriptiones. Alii de Oceano, alii de Interiore aut Erythræo mari commentarios ediderant. Hi Galliam, Hispaniam; illi Africam aut ad Orientem solem versas regiones descripserant. Fuerunt etiam qui ne Britanniam quidem, aut Germaniæ littora omitterent. At nemo inventus erat, qui ceterorum omnia reperta in unum librum quasi funderet, et totius terrarum orbis geographiam aggrediretur. Digni erant Græci qui tantum opus perficerent, et a doctissimis gentis suæ viris inchoatum monumentum ad finem perducerent. Quod quidem tanti momenti videbatur, ut de eo exsequendo Cicero cogitaverit. Sed ipsa difficultate victus, vix inchoatum opus deseruit. Qua de re incipienda Tyrannio meditatus erat, eam, Augusto regnante, Tyrannionis discipulus, Strabo feliciter peregit.

CAPUT VI

De Romanis apud Græcos in Græcia aut
græcanicis regionibus

Hactenus quales apud Romanos Græci fuerint ostendimus. Hoc superest ut Romanos ipsos apud Græcos, in medias Græcanicas regiones persequamur. Neque enim eos solum Græci suis artibus imbuerunt, ad quos se contulerant; sed apud eos etiam auctoritatem adepti sunt, qui variis de causis in Græcis civitatibus aut in Græcis coloniis commorabantur: quorum tria genera considerabimus: nempe mercatores et publicanos, magistratus, et adolescentes philosophorum et rhetorum auditores.

Mercatorum et publicanorum non minor in græcanicis urbibus quam in ceteris provinciis copia erat. Postquam enim gentem externam Romani domuerant, maximam in ea mercaturæ partem sibi detinebant. Argentariæ præsertim mirum in modum impendebant operam. Quum enim unaquaque subacta regione, nihil in ea nisi singulas civitates superesse paterentur, quarum cives in vicinis urbibus neque agros emere, neque matrimonia capessere possent, rerum omnium quæ solo continentur commercium penes Romanos erat. Ii præterea soli vectigalia et decumas conducebant. Magnus igitur omnis generis publicanorum numerus domitas provincias invadebat, quum alii apud socios argentariam facerent, alii venales agros mercarentur aut colerent, alii vectigalia et tributa exige-

rent. Ubi aut civitates aut reges in eo erant ut æs alienum contraherent, Romani præsto aderant, qui magno eis fœnore pecuniam commodarent. Tanti erant argentariae fructus, ut ea pauci abstinerent. Non publicani solum debitores sibi apud socias gentes comparabant: sed maximi cives, Pompeius, Brutus et Cassius hac facillima privatam rem augendi via utebantur, et e longinquo socios vexabant. Sed multo plures in ipsis Asiæ aut Græciæ urbibus domicilium instituerant, et prædia mercabantur. Quum nec fama nec nobilitate cives suos superarent, neque ulla eis spes esset publicos honores Romæ comparandi, opes tantum sectabantur, et apud externas gentes, ob unum Romanum nomen, florebant. Unus ex his negotiatoribus fuit Decianus, quem tam lepide Cicero in sua pro L. Flacco oratione irridet¹.

Romani magistratus, quum græcanicas urbes trajicerent aut regerent, Græcos plerumque amicorum loco habebant. Quos Romæ, ut plebis superbiæ lenocinarentur, sibi contemptui esse simulabant, eosdem in Græcia aut Asia summo colebant studio. Nec deerant qui græca lingua publice uterentur et orationes pronuntiarent. Primus in græca urbe Tib. Sempronius Gracchus græcam orationem habuit², cujus exemplum postea multi secuti sunt. Quamvis enim lege vetaretur Romanos magistratus in provinciis ullum alium præter latinum sermonem, quum de rebus publicis agerent, adhibere³, plerique Græcis libenter ostendebant se litterarum non ita rudes esse ut eorum linguam ignorarent. Paucierant qui, quum inclytam urbem trajicerent, clarissimum quemque rhetorem aut philosophum invisere negligerent. Narrare Pompeius solebat se, quum, e Syria decedens, Rhodum venisset, Posidonium audire voluisse. Sed, quum audivisset eum graviter esse ægrum, quod vehementer ejus artus laborarent, voluisse

1. Cic. pro Flacc. 29. — 2. Cic. Brut. xx. — 3. Val. Max. II, 2.

tamen nobilissimum philosophum visere : quem ut vidisset salutavissetque, et honorificis verbis prosecutus esset, molesteque se ferre dixisset, quod eum non posset audire, at ille : « Tu vero, inquis, potes ; nec committam ut dolor corporis efficiat ut frustra tantus vir ad me venerit. » Itaque graviter et copiose de hoc ipso, nihil esse bonum, nisi quod honestum sit, cubans disputavit. Quum interdum malo gravius urgeretur, et ei quasi doloris faces admoveerentur, sæpe dicebat : « Nihil agis dolor : quamvis sis molestus, nunquam te esse confitebor malum¹. »

Quum Romani optimates græcas scholas inviserent, pars erat obsequii ut ipsi coram tantis hospitibus rhetores aut philosophi de suis artibus dissererent. Qua humanitate Pompeium Posidonius exceperat, eadem ceteri omnes clarissimum quemque Romanorum excipiebant. Accidebat etiam ut inter se aut variæ philosophorum sectæ, aut philosophi ac rhetores de artium suarum præstantia orationibus contenderent. Hujus generis certamini, anno U. C. DCV, se Athenis adfuisse memorat apud Ciceronem orator M. Antonius². Quum pro consule in Ciliciam proficiscens Athenas venisset, complures ibi dies, ob navigandi difficultatem, commoratus est. Etsi Romæ profitebatur se græcas litteras omnino nescire, non is erat qui doctissimos civitatis viros invisere omitteret. Quum præterea apud eos increbuisset eum Romæ in maximis causis versari solere, omnes protinus adfuere, qui de oratoris officio et ratione disputarent. Mnesarchus, stoicæ sectæ philosophus et Panætii discipulus, aperte professus est rem inanem esse oratoriam artem, et eos qui oratores vocarentur, nihil esse, nisi quosdam operarios lingua celeri et exercitata; neque enim eloquentiam esse, nisi quæ justitiam et virtutem tueatur; hanc autem esse virtutem, qua qui ornatus sit, eundem ceteris omnibus virtutibus instructum et sapientem esse; neminem igitur eloquentem esse, nisi

1. Cic. Tusc., II, 26. — 2. Cic. de Orat., I, 18.

sapientem. Mnesarchi sententiam impugnavit Menedemus, vir nobilis, Antonii hospes; eandem Charmadas acriter defendit.

Tales erant Græcorum in patria sua coram Romanis optimatibus disputationes. Hujus generis orationibus artium suarum excellentiam confirmare et hospites delectare conabantur. Sed jam apud eos romani adolescentes undique circumfluebant. Hi, quum Romæ litteras didicissent, primo ante J.-C. seculo græcas etiam urbes invisere cœperunt, quo melius apud clarissimos professores eloquentiam et sapientiam ex ipsis fontibus haurirent. Erant enim certæ quædam civitates, quæ quasi litterarum et artium seminaria viderentur, ut nisi qui in eis commoratus esset, nemo omnibus numeris absolutam sapientiam adeptus esse crederetur. Has inter urbes primum locum obtinebant Athenæ. Athenis jam diu doctrina ipsorum Atheniensium interierat; in ea tamen urbe domicilium remanebat studiorum, quibus vacabant cives, fruebantur peregrini, capti quodam modo nomine urbis et auctoritate. Athenas se rhetores et philosophi cum discipulis conferebant. Ibi philosophicarum omnium sectarum magistri aderant: Peripateticis Critolaus, Antiochus et Cratippus, Stoicis Diogenes Babylonius et Mnesarchus, Academicis Carneades, Clitomachus, Charmadas et Philo; Epicureis præerant Zeno, Phædrus et Patron. Horum plerique Athenas quasi alteram sibi patriam adoptaverant, non ita tamen ut externum in pronuntiandis litteris sonum omnino exuerent: tanta erat Atheniensibus loquendi suavitas, ut quilibet Atheniensis indoctus non verbis, sed sono vocis, nec tam bene quam suaviter loquendo, doctissimos viros facile superaret¹.

Non numero minores in Asia quam in Græcia scholæ fuerunt, sed rhetoribus præsertim constabant. His in scholis asiaticum dicendi genus inventum est. Attico ge-

1. Cic. de Orat., III, 15.

nere floruerant maximi viri, qui, quum de gravissimis rebus loquerentur, et nunc accusatos cives coram iudicibus, nunc rem publicam in concione defenderent, sobrii simul et nervosi fuerant oratores. Asiatici ea ætate florere cœperunt, qua, amissa libertate, nihil in publicis græcarnicarum civitatum rebus supererat, quod eorum eloquentiam accenderet. Quum magnis rebus carerent quibus redundaret oratio, hæc eis cura fuit, ut parvas res verbis amplificarent. Creaverunt opimum quoddam et tanquam adipale dictionis genus, quod Cariz, Lydiæ et Mysiæ cives mirum in modum delectaret¹, Atticis et Rhodiis minus placeret. Asiaticum genus ab Hegesia Magnete cœptum est, qui quum maximam sibi famam comparavisset², duæ mox in Asia clarissimæ scholæ exortæ sunt, quarum una ab Alabandenis fratribus, Hierocle et Menecele, altera ab Æschylo Cnidio et Æschine Milesio condita est.

Rhetorum plerique in maximis Asiæ urbibus scholas habebant, nempe Tralibus, quod quasi totius Asiæ caput erat, aut Ephesi, Magnesiæ, aut etiam Alabandæ, quæ, quamvis parva civitas esset, quatuor clarissimos rhetores genuit, Hieroclem, Menecele, Apollonium et Molenem. Sed Apollonius, cognomine Malacus, et Molo Rhodum se contulerunt, et in hac præsertim urbe famam et discipulos adepti sunt. Apollonius non ingenio solum, sed etiam amore virtutis inclaruit. Quum enim mercede doceret, non patiebatur eos, quos iudicabat non posse oratores evadere, operam apud sese perdere, dimittebatque et ad quam quemque artem putabat esse aptum, ad eam impellere et hortari solebat³. Apollonii famam Molo superavit, quum in veris causis actor et scriptor præstantissimus, tum in notandis animadvertendisque vitiis adolescentium, et instituendo docendoque prudentissimus⁴. In publicis etiam Rhodiorum rebus versatus est, utpote qui bis Romam missus fuerit publica legatione instructus.

1. Cic. Orat. 8. — 2. Strab. xiv, 5. — 3. Cic. de Orat. — 4. Cic. Brut. 91.

Græcarum Asiæ civitatum exempla omnes græcanicæ coloniæ sequebantur. Nulla erat tam remota civitas, tam barbaris circumfusa, quæ patriæ artes oblivisceretur. Jam memoravimus maximam doctissimorum virorum copiam Alexandriæ, in Ægypto, semper fuisse. Cyrenæ, ut multi rhetores, sic multo plures etiam philosophi exorti sunt. Massilienses sero quidem liberalibus artibus indulgere cœperunt; sed eas ubi primum excoluere, tanto eis studio se tradiderunt, ut brevi rhetoribus, philosophis et medicis civitas abundaret¹.

In has igitur civitates Romani juvenes se conferebant. Hos inter adolescentes tres eligemus, quorum exemplo de ceteris judicari possit: nempe Ciceronem, Cæsarem et Ciceronis filium.

Cicero xxviii annos natus in Orientem se contulit, quum jam Romæ diu et ardentem philosophiæ et rhetoriæ studisset. Quum anno U. C. dclxv princeps Academiæ Philo, cum Atheniensium optimatibus, Mithridatico bello profugisset, Romamque venisset, totum ei se tradiderat, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus². Duabus Molonis ad Senatam legationibus, non is erat Cicero qui eas occasiones peritissimum dicendi magistrum audiendi negligeret. Huic igitur summam dedit operam³. Jam fere decem ab annis romanos omnes oratores, qui tum principes eloquentiæ numerabantur, in senatu, in concione, et in judiciis audiebat. Horum orationibus ita fruebatur, ut nihil ipse e suis studiis remitteret. Ad id enim præsertim eos audiebat, ut, si quid apud eos aut vitii aut virtutis appareret, id vitaret aut imitaretur. Præterea jus civile apud Mutium Scævolum didicerat. Quid plura? ne a judiciis quidem abstinerat. Quum Sext. Roscii causam egisset, tantum commendationis hæc ejus prima publica causa habuit, ut jam nulla esset quæ ejus patrocinio indigna videretur. Hanc igitur multæ

1. Strab. iv, 1. — 2. Cic. Brut. 88. — 3. Cic. Brut. 90.



protinus secutæ sunt : jam in foro celebratum erat ejus nomen.

Sed quum Roscium defendendo Chrysogoni iram movisset, quum præterea ob corporis gracilitatem timerent parentes ne nimio labore, nimia laterum contentione, vitam in periculum adduceret, omnes eum et medici et amici hortati sunt, ut causas agere desisteret. Cicero quodvis sibi periculum potius adeundum quam a sperata dicendi gloria discedendum decreverat. Sed quum censeret remissione et moderatione vocis, et commutato genere dicendi, se et periculum vitare posse, et temperatius dicere, ideo in Asiam profectus est, ut consuetudinem dicendi mutaret.

Athenis primo, anno U. C. DCLXXIII, sex menses comoratus est. Ibi cum Antiocho Sidonio philosophiæ studium renovavit. Eodem tempore apud Demetrium Syrum, veterem et non ignobilem dicendi magistrum, studiose exerceri solebat. Inde totam Asiam peragravit, cum summis oratoribus, quorum princeps ea ætate erat Menippus Stratonicensis. Assiduissime etiam secum habebat Dionysium Magnetem, Æschylum Cnidium et Adramyttenum Xenoclem. Cum iis quotidie exercebatur, ipsis lubentibus. Nec tamen his contentus, Rhodum se contulit, seque ad eundem Molonem, quem Romæ noverat, applicavit. Qui quum latinas litteras non optime sciret, a Cicerone petiit ut græce potius quam latine declamaret. Cicero, qui græca oratione facillime uteretur, libens annuit, quo certius a Molone corrigi posset. Memoriam traditum est, quum die quadam summo ardore declamitasset, Molonem diu secum cogitabundum tacitumque sedisse, et in hæc tandem verba prorupisse : « Te quidem, M. Tulli, laudo et admiror; Græciæ autem fortunam miseror, quum videam te, quæ sola nobis relicta erant ornamenta, Romanis etiam addere, doctrinam et facundiam¹. » Cicero maximum fructum e Molonis disciplina percepit. Hic enim

1. Plut. Cic.

dedit operam ut nimiam ejus dicendi abundantiam cohereret. Ita biennio post, Cicero Romam rediit, non modo exercitator, sed prope mutatus. Non solum ingenii maturitatem adeptus erat, sed nimia vocis contentio reciderat, accesserant vires lateribus, et corpori mediocris habitus¹. Hinc evenit ut maximos ejus ætatis oratores, Cottam et Hortensium, facile superaret.

Cæsar Cicerone junior erat, quem Rhodi tamen antecessit. Eadem illi in Asiam se conferendi causa fuerat, quæ Ciceroni fuit, nempe ut se Syllæ subduceret. Quum enim, Marii nepos, Cinnæ filiam uxorem duxisset, eamque, jubente dictatore, dimittere nollet, Sylla ei graviter succensuit. Cæsar ejus iram præterea accendit, quum sacerdotium injussus peteret. Sylla nomen ejus proscribi jussisset, ni tota nobilitas veniam pro patricio juvene deprecata esset. Pervicerunt Cæsar's amici ne occideretur. Cæsar tamen intellexit partem esse prudentiæ ne diutius in Italia maneret. In Asiam se recipere statuit. Priusquam excederet, a militibus captus est, qui eum duorum talentorum pretio dimiserunt. Quum circa Cyprum insulam navigaret, in piratarum manus incidit. Aliquot apud eos menses captivus mansit, quum tamen nihil in suis studiis remitteret. Neque enim declamitando aut versus componendo abstinerebat. Recuperata tandem libertate, naves Ephesi collegit piratasque persecutus, captos omnes in crucem egit².

Haud multo post Rhodum se contulit, ibique unius anni spatio commoratus est, quum Molone dicendi magistro uteretur. Nec mediocrem inde percepit utilitatem. Confitetur enim Cicero Cæsarem, nisi forum et dicendi artem deseruisset, præcipuum inter suæ ætatis oratores locum occupaturum fuisse. Cæsar, priusquam Romam regrederetur, quantum in dicendo valeret ostendit. Quum enim P. Antonius peculatum in Achaia fecisset, coram prætore

1. Cic. Brut., 91. — 2. Plut. Cæs.

Lucullo eum accusavit. Antonius, qui graviter urgeretur, respondit sibi jus æquum in Græcia adversus Græcos tribui non posse, et tribunos plebis appellavit. Mortuo Sylla, Cæsar Romam rediit ibique Dolabellam, qui Achaiaë provinciæ præfuerat, in jus vocavit. Quamvis omnes eum civitates testimoniis adjuvarent, haud pervincere potuit ut reus damnaretur.

Ciceronis filius xxii annos natus erat, quum se Athenas contulit, ut liberales artes penitus disceret. Summo studio pater eum educandum curaverat una cum Q. Cicerone, fratris filio. Inter adolescentis magistros adhibuit Dionysium, doctissimum virum, Attici libertum¹, et Tyrannionem. M. Cicero, xviii annos natus, Pompeii partes amplexus, adversus Cæsarem apud Pharsalum pugnaverat. Tunc temporis Athenas profectus est, quum Cicero, qui aliquot ante annis Terentiam dimiserat, Publiliam, lxii annos natus, uxorem duxisset. Adolescens, qui cum noverca dissentiret, ne in paterna quidem domo manere potuerat. Anxius animi videbatur, nec satis intelligebat quid potissimum susciperet. Nunc Romæ domicilium eligere placebat; nunc in eo erat ut in Hispanias proficisceretur, ac Cæsari adversus Sext. Pompeium opem suam offerret. Cicero ab hoc eum consilio deterruit; neque enim, si Cæsaris partes amplecteretur, cui nuper obstitisset, id adolescentis nomine aut præterita vita dignum fore; præterea in Hispania Quintum avunculum et fratrem consanguineum adfuturos, qui de ipsis non ita bene meriti sint, et Cæsaris gratiam adeo præoccupaverint, ut nihil spei M. Ciceroni supersit. Patris consilia Marcus secutus est, et anno U. C. dccviii, Athenas petere decrevit.

Hoc supererat ut viaticum et famulos juveni Cicero deligeret. Quum una profecturi essent patricii juvenes Manlius Acidinus, Junius Bibulus et Valerius Messala, Cicero volebat filium suum eis nequaquam inferiorem videri.

1. Cic. ad Attic. vi, 1.

Sed domesticæ res ejus erant impeditissimæ. Jam diu a Dolabella filiæ suæ dotem repetebat. Dolabella, prodigus et ære alieno oppressus, Tulliam quum repudiaret, dotem sibi habuerat. Quum in eo esse videretur ut Ciceroni satisfaceret, in Ciliciam profectus est, et in ea provincia periit. Cicero ab Attico pecuniam mutuari coactus est¹. Erant ei in Aventino et in Argiletto domunculæ humiles, quibus Terentiæ dos constiterat. Has Vectorii architecti opera in tabernas mutavit, quarum ex locatione H.-S. LXXX perciperet, in impensas filii². Nomen etiam H.-S. xxv exsolvit, quod pro amico sumpserat L. Muntanus, unus e Marci comitibus. M. Cicero, quum in annuos sumptus H.-S. LXXX impendere posset, esse in aliquo numero Athenis poterat, non tamen ut ei divitias inexhaustas liceret ostentare. Quodcumque necessarium videbatur aderat : in supervacaneos sumptus vix opes suppetebant.

Præcipuum inter ejus magistros locum obtinebat Cratippus philosophus, doctrina et virtutibus insignis. Cicero qui eum jam diu noverat, a Cæsare impetraverat ut in Romanorum civium numerum adscriberetur. Pervicit etiam ut eum Areopagitæ per litteras precarentur Athenis maneret et educandæ juventuti operam daret. Cicero filium Leonidæ et Herodi maximum in modum commendavit. Herodes Atheniensis vir erat laudis famæque avidus et ambitiosus. Quum de Ciceronis consulatu commentarium conscripsisset, epistolam ei misit, qua sic ei adulabatur, ut se eum ad quoddam de ejus laudibus certamen provocare fingeret. Hanc ejus impudentissimam adulationem Cicero ægre tulit : « Conjurasse mallet, aiebat, quam restitisse conjurationi, si Herodem mihi audiendum putassem³. » Nec tamen adeo indignatus est ut filium oblivisceretur. Hunc esse Herodem credidit, qui aliquam adolescentis curam gereret. Sed Herodi unum fuit studium

1. Cic. ad Attic. XII, 32. — 2. Cic. ad Attic. XII, 52. — 3. Cic. ad Attic. II, 2.

ut patri simul et filio blandiretur. Multo sapientius se gessit Leonidas, ut qui Ciceronem summa amicitia prosequeretur. Curavit ut eum, quotiescumque Marcus a recta studiorum via discedebat, certiore faceret. Parentem maluit anxium quam inscium esse.

M. Cicero Athenis duobus annis commoratus est. In hac urbe a C. Trebonio salutatus est, quem Cæsar in Asiam pro prætore miserat. Trebonius Ciceroni epistolam scripsit, quæ patri jucundissima futura esset: « Quod maxime optabam, vidi filium tuum deditum optimis studiis, summaque modestiæ fama. Nihil adolescente tuo aut amabilius est, aut studiosius earum artium quas tu maxime amas, hoc est optimarum. » Quum juvenis in sermone injecisset, se velle Asiam invisere, Trebonius valde eum non modo invitavit, sed etiam rogavit, ut id potissimum ipso provinciam obtinente faceret. Hortatus est etiam ut Cratippum secum duceret, ne in studiis feriari videretur¹. Hoc iter M. Cicero in aliud tempus distulit.

Ceterum Trebonii laudibus non omnino dignus erat. Haud quod discendi studium penitus negligeret. Amicitiam et societatem cum duobus adolescentibus inierat, Cassio et Bruttio. Bruttius erat non solum summæ probitatis et integerrimæ vitæ adolescens, sed etiam jucundissimæ convictionis, et qui jocos a studio non sejungebat. Quum vero arcta paupertate laboraret, locum ei Marcus haud procul a domo sua conduxit, atque ex suis, ut dicebat, angustiis, amici tenuitatem sustentavit. Græce apud Cassium, latine apud Bruttium declamitabat.

Multus erat apud Leonidam et apud Epicratem, probatissimum Athenis virum, et Ciceroni amicissimum. Sed erat ei comes rhetor Gorgias, pravis moribus, luxuriæ et vino deditus. Protinus Leonidas Ciceroni scripsit quantum sibi in hac consuetudine periculum videretur. Adolescens in tantos errores incidit, ut Herodes ipse de

1. Cic. ad. Div. XII, 1.

eo scribere desierit, ut qui silere mallet, quam nullas laudes proferre. Cicero filium valde hortatus est ut se ad bonam frugem reciperet. Atticus ita ei scripsit, ut neque severius, neque temperatius scribi posset¹. Tullios etiam Marcianum et Montanum monuit ne juvenem negligenter. Nec patris, neque amicorum consilia M. Cicero contempsit. Leonidas ad Ciceronem scripsit res se multo melius habere, non tamen ut nihil in posterum timeret. Quum tandem filio Cicero præcepisset ut a se Gorgiam omnino amoveret, paruit adolescens, et patris præceptum executus est. Tironi libertino litteras scripsit quibus se in melius mutatum profitebatur².

Verisimile est hunc adolescentem, patris opera, honestissimum certe, forsitan etiam clarum virum futurum fuisse, si in antiquo statu Romana civitas permanere potuisset. Sed in eo erant vetustissimæ leges, ut cum libertate corruerent. Cicero, quum summa virtute conatus esset publicam libertatem et patriæ leges tueri, crudelissimam mortem, triumvirorum jussu, obiit. Hoc accepto nuntio, filius ejus summo dolore perfusus est. Nulla ei via supererat qua nominis sui famam pro virili parte sustineret. Interdum tamen ostendit non omnem in se extinctam esse paternæ virtutis memoriam. Nempe in Bruti Cassiique exercitu apud Philippos, inter ultimos libertatis defensores, fortiter dimicavit. Postea, quum audivisset Cestium Pium patris sui libros et eloquentiam arroganter irridere, mare transiit et Ephesum se contulit, ut eum castigaret.

Tria tantum genera Romanorum in Græcis civitatibus quasi prætereuntium consideravimus. At multo majorem numerum negleximus eorum qui, quum civilium in patria bellorum eos pertæsum esset, in græcas urbes fugiebant, ubi otio et securitate fruerentur. Hos inter clarissimus est Atticus. At erant ejus exemplum multi secuti.

1. Cic. ad Attic. XII, 1. — 2. Cic. ad Div. XVI, 21.

In græcis urbibus exsulum plerique malorum suorum finem exspectare soliti erant. Fuere etiam quos græci mores ita delectarent, ut in græcis urbibus civitatem adipiscerentur, et Athenis civilibus omnibus officiis fungerentur. Fuere qui in iudicum numero atque Areopagitarum sederent, certa tribu, certo numero, quasi oblitii essent, si apud Athenienses civitatem essent adepti, apud Romanos se perdidisse, nisi postliminio recuperarent 1.

1. Cic. pro Balb. 12.

CAPUT VII

**Quid in mutandis Romanorum moribus Græci
contulerint**

Quum tantam sibi apud Romanos optimates auctoritatem Græci comparaverint, sunt qui eorum artibus corruptos fuisse Romanorum mores credant, et in pejor mutata civitatis religionem. Qua quidem ab opinione Cato Censorius haud procul abfuisse videtur, quum, audito Carneade, a Patribus impetraverit ut Atheniensium legati in Græciam, re confecta, quam primum remitterentur. Caveamus autem ne, tanti viri exemplo decepti, duas res diversissimas, religionem et mores misceamus. Nemo dubitare potest quin Romanorum religionem Græci penitus mutaverint, vel potius everterint. Hanc autem ipsam, non apud plebem, sed apud optimates tantum aggressi sunt. Plebem enim Græculorum disciplinæ ad extremum hostiles animos gessisse supra diximus. Præterea, poetarum solum operibus, nempe fabulis, græcanicam doctrinam accipere poterat. Fabulas autem vel tragicas, vel comicas, ii leviter judicant, aut vix intelligunt, qui antiquæ religioni adversas fuisse putant. Neque enim, ob aliquot a grammaticis servatos versus, impiam fuisse comœdiam aut tragœdiam credendum est. Hujus modi versus

plerumque ab irato aut nefario aliquo viro profundi solebant, cujus ærumnas quasi præpararent, adeo ut hæc ipsa maledicta pietatem in deos confirmare potius quam labe-
factare viderentur.

Philosophi veterem religionem aperte impugnabant. Sed paucos habebant auditores, et eos quidem delectos, qui antiquas de Deis fabulas jampridem in dubium revocare cœperant. Quum præterea, pro absurdis plerumque et inanibus fabulis doctam et cum ratione congruentem de Deis, de rerum natura, de moribus et humana vita disciplinam afferrent, fateamur necesse est eos Romanis optimatibus utiles potius fuisse quam nocuisse. Quod quidem facile apparet, si quis philosophorum discipulos consideraverit. Ne Epicureorum quidem disciplina ea erat quæ ad libidinem viros impelleret. Vel ex hac schola temperantes et modesti egrediebantur, modo magistrorum suorum præcepta vere sequerentur. Maximum quidem Epicureis erat vitium, quod sectatores suos a republica administranda avertabant, et eam proponebant felicitatem quæ nimio sui amore condita esset. Sed a vitiis et pravis voluptatibus procul abhorrebant. Quod ad Stoicòs attinet, quales viros informaverint, e Tuberonis, Rutilii, Catonis exemplo judicari potest.

Non ii erant Græci qui Romanorum mores corrumpere-
rent. Quales in urbe Romana Græculi fuerint satis ostendimus. Ut pauci inter eos nebulones, sic multo plures doctissimi fuerunt et integerrimi viri. Non Græcorum, sed suis ipsi vitiis Romani perierunt. Fuerant eis quondam maximæ virtutes, quibus imperium suum condiderant. Harum locum inauditæ libidines paulatim usurpaverunt, quæ nusquam nisi apud terrarum orbis dominatores, et in media Romuli fæce, quam vocat Cicero, oriri poterant. Quas quum in dies gliscere Cato Censorius intelligeret, res omnes novas et ipsas Græcorum artes odisse cœpit, ut quæ cum ipsa morum antiquorum corruptela in Urbem

ingruerent. Legibus etiam suis luxuriam et privatorum impensas cohibere tentavit, quasi sumptuariis legibus antiquam morum severitatem retinere posset. Non intellexit e novis rebus, unam esse mali causam, nempe, Romani imperii per totum orbem propagationem. Roma Cincinnatos, Coruncanios et Fabricios educere desierat, ex quo Italiam, Siciliam, et tot alias subegerat provincias. Non e Græcorum præceptis, sed e victoriis Romanorum, inexhaustæ apud optimates divitiæ et insana luxuria orta est. Non Blossii Cumani, Menelai Maratheni, aut Diophanis Mitylenæi orationes, sed res ipsæ, et longa Patrum et Plebis discordia Gracchos suscitaverunt. Non Græculorum auctoritate aut exemplis exorta sunt bella civilia. Quamvis Sylla, Cæsar, Pompeius, Antonius et Octavius Græcis præceptoribus et magistris usi essent, nunquam de laceranda armis patria cogitavissent, nisi maturam in incepta et audaciam suam invenissent rempublicam. Non quemadmodum leges proculcarent a præceptoribus didicerant. At quum intelligerent neminem in patria superesse, qui leges vereretur; quum viderent, si quis milites sibi beneficiis conciliaret, futurum esse ut ei nulla vis posset obsisteret, hinc tanta eis audacia accessit, ut libertatem opprimere, et civibus dominationem suam imponere conarentur.

Artes igitur, non morum corruptelam Græci Romam intulerunt. Atque has ipsas Græcorum artes Romani ne omnes quidem acceperunt. Has enim tantum coluere, quas sibi aut in administranda re publica, aut in delectanda vita utiles fore sperabant. Quum Græci omnes simul artes excoluissent, quæcumque ex eorum studiis in contemplatione rerum posita potius quam ad communem vitam necessaria videbantur, Romani neglexerunt. Paucos ex eis reperire est qui cœlestium rerum ordinem aut naturæ arcana scrutentur, paucos qui picturam et sculpturam exerceant; ex ipsa geometria id tantum assumunt,

quod ad metiendos agros utile est. At plerique eloquentiam, utilitatis causa, multi philosophiam, ob utilitatem simul et oblectamentum colunt.

Quanquam his ipsis artibus, quas a Græcis mutuuntur, suo magis quam Græcorum more student, ut, vel qui Græcis magistris et amicis utuntur, ii Romani maneant. Jam memoravimus hunc apud eos in donanda civitate morem observatum esse, ut quos in civitatem adsciscerent, Romanum eis nomen imponerent, et quasi latino sigillo obsignarent. Credas eos eundem morem, etiam quum Græcas litteras in civitatem adducerent, observasse. Elsi Græcos rhetores adhibebant, græcas orationes pronuntiabant, nunquam tamen obliviscebantur, non in gymnasiolorum umbra, sed in medio fori strepitu verba sibi olim fore facienda. Ideo eloquentes fieri volebant quo facilius amicos tuerentur, inimicos lacesserent et suam auferent auctoritatem. Ideo, præter eloquentiam, ceteras etiam Græcorum artes attingebant, quo gravior videretur, et ut quasi rerum copia redundaret oratio. Ardentem omnia discere properabant, ut quibus vix suppeteret otium, et quibus suo anno petendi essent honores.

Varro, doctissimus Ciceronis amicus, in uno e suis libris ait esse radices quasdam, quæ, quum in horto ac tellure sua fructus edere desierint, obstantes muros sensim perfodere, et in vicinum hortum penetrare possint, ubi melius ac minus exhaustum solum nactæ, revirescant et novos proferant fructus. Hanc ego Græcarum apud Romanos artium imaginem esse dixerim. Quum in Græciæ quasi exhausto solo raros tantum et humiles fructus efferrent, Romam penetraverunt. Ibi novam et nondum exhaustam tellurem invenere, ut rursus florere ac fructus edere possent, sed qui Romanum aliquid et latinum saperent. Ex hoc etiam intelligitur et quam utilitatem e Græculis Romani perceperint, et quas in Romanis ad artes informandis Græculi partes obtinuerint. Neque enim, sine

radicibus e Græcia oriundis, tam generosos fructus Romanorum solum edidisset, nec sine Romano solo Græcanicæ radices reviviscere potuissent.

VIDI AC PERLEGI :

*Lutetiæ Paris, in Sorbona. A. D. III id. Mart.
anno 1879.*

Facult. Litter. in Acad. Paris, decanus,

H. WALLON.

TYPIS MANDATUR :

*Academiæ Parisiensis rector,
GRÉARD.*

ERRATA

Page 31, ligne 19, *redictus*, lire *relictus*.

Page 53, ligne 25, *oro*, lire *auro*.

Page 79, ligne 28, *quendam*, lire *quemdam*.













